

Decus Europae. Seu Domus Ursina, origine, gestis, et cognatione principum illustris poetica narratione descripta

Tyrnaviae : Typis Acad. per Frider. Gall.,
1725



EOD - milióny knih z katalogů knihoven více než 10 evropských zemí jsou nyní k dispozici jedním kliknutím myši.



Děkujeme, že jste si vybrali EOD!

V evropských knihovnách jsou uchovávány milióny historických i novověkých knih. Velká část těchto dokumentů může být nyní velmi jednoduše k dispozici v podobě elektronické knihy - eBook. Požadovaný titul si můžete kdykoli objednat prostřednictvím online katalogů knihoven zapojených do projektu EOD (eBooks on Demand – elektronické knihy na požádání). Tištěnou knihu přivedeme do digitální podoby a zpřístupníme v elektronické podobě.

Co Vám můžeme nabídnout. (a proč využívat službu EOD)

- ⌚ Získáte téměř identický dojem, jako kdybyste si prohlíželi originál.
- ⌚ K prohlížení elektronické knihy postačí běžný software, samozřejmostí je možnost zvětšení stran nebo jednoduchá navigace.
- ⌚ Můžete si vytisknout jednotlivé strany nebo celou knihu.
- ⌚ K dispozici máte vyhledávání jednotlivých slov z plného textu knihy.*
- ⌚ Jednoduše zkopírujete obrázek nebo část textu a přenesete je do jiných aplikací, např. textového editoru.*

* Nelze poskytnout u každé knihy.

Podmínky služby

Objednáním služby EOD přijímáte podmínky stanovené knihovnou, která vlastní knihu. EOD poskytuje přístup k digitalizovaným dokumentům výhradně pro osobní potřebu, komerční využití není povolené bez svolení vlastníka dokumentu.

- ⌚ Všeobecné podmínky - česky: <http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/cz/agb.html>
- ⌚ Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/en/agb.html>
- ⌚ Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/de/agb.html>

Více o projektu


Službu EOD nabízí již 18 knihoven z více než 10 evropských zemí. Podrobné informace o projektu získáte na <http://books2ebooks.eu>


6

24758

(20873.)


LVII. c. 56.







Satum Gentilium Ursinorum
Ducum de Gravina &c
Cum sanguine iudis Provincijs.



Hic solùm ex Ursinis XXXX Cap.
IV Pontifices, et quintum Simulium
Benedictum XIII nunc Feliciter secundum
ex primimus.

DECUS EUROPÆ.

S E U

DOMUS URSINA,
ORIGINE, GESTIS, & COGNATIONE
PRINCIPUM ILLUSTRIS
POETICA NARRATIONE
DESCRIPTA.

Occasione annuae recordationis electi in
Pontificem Maximum 29. Maji An. 1724.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

BENEDICTI XIII.

ANTEA

VINCENTII, MARIAE,
S. R. E. CARDINALIS
URSINI,
DUCIS DE GRAVINA DICTI.
HONORI

Illusterrimorum, Perillustrium, Reverendo-
rum, Prænobilium, Nobilium, ac Eruditorum
DOMINORUM, DOMINORUM
NEO-BACCALAUREORUM,

Dum

In Alma Archi-Episcopali Universitate Soc. J. Tyrnaviensi
Primâ AA. LL. & Philosop. laureâ condecorarentur.

PROMOTORE

R.P. PAULO KOLOSVARI
è Societate Jesu, AA. LL. & Philosoph.

Doctore, ejusdémq; Professore Ordinario.

Ab Illusterrima Humanitate Tyrnaviensi dedicata Anno
M. DCC. XXV.

Tyrnavia Typis Academicis per Fridericum Gall,

24af 58



ILLUSTRISSIMI,
PERILLUSTRES, REVERENDI,
PRÆNOBILES, NOBILES,
AC ERUDITI
DOMINI, DOMINI
NEO-BACCALAUREI.

REddimus tributum Poëtæ; vel
inde digni minus laureâ, quod
meritis effeceritis Vestram.
Porrigitis ed hodie gloriam, quod
nec aspirare licuit Vatibus: tantum no-
bis feliciores, quamvis nos absimus à
Philosophia. Exterum quid (siquid ta-
men exterum Philosopho) elegos subiisse, ne

mireremini : Vestrum est ; est , Patriæ ,
quam Ursinis conjunctam sanguine in
Bela IV. Hungariæ Rege per Cunegun-
dam meministis. Inerit operi vitium ; sed
illud amplitudo materiæ deterget. Et ne
Patriæ solum gaudii daretis hodie argu-
mentum , Italiam ipsam in Vestri ho-
noris felicitatem excivimus. In eo tan-
zum vobis invisi erimus , quia rudes ;
qui tum Vestrum esse , & meritò , quid-
piam dicitis , cùm visii in illo supereft
sibil. Tenuis adbuc penus est ; at ubi
in id , quò vos , eniti studiorum conti-
gerit , paria meritis Vestrīs , id est ,
immortalia , adferemus. Dabitis operi
preium , dum favisse Vos labori no-
stro gratulabimur. Vivite , & favete.
Ita precatur

HONORI VESTRO

Addic̄tissima

Poësis Tyrnaviensis.



PRÆFATIO.

I cecinisse licet , licuit tamen usque Poëtis .
Quæ canimus , quamvis sint tua , Roma leges .
Fortè rudes operum venient in carmina Musæ .
Dilue , si venient , qua decet arte , scelus .
Si nisi Peligno cuperes te credere Vati ,
Debueras nullò Roma stetisse loco .
Plus mihi , quod timui , sunt metra peracta litoris .
Ista tamen subeat prima litura manum .
Deme mihi pretium ; pretium rude carmen habebit ,
Si recitet Domini stemmata magna tui .
Ipse reformido (quis enim tua versibus æquet
Numina) quem poteram non tetigisse , Jovem .
Ampla seges Vatum est : fuerat minus æqua canentii
Altera , dum pietas duxit in ista manum .
Ursinos memoro , divamque ab origine stirpem
Quodve decus meruit nôsse , vel uade , canam .
Fabula , si subeat (sed erit pars fabula) versum .
Hanc licuit , memini , Vatibus ire viam .
Non tamen à vero , quod amant , mea plectra remittam ;
Est mihi , cur valeam dicere : Vera leges .
Ipsa dabas fidos , Vatum Dea , Roma liberi .
Ipsa tuam es , calami munere , pacta fidem .
Miraris tenuem , (mecum mirabere) molem ,
Et leve de tanto semine ludis opes ;
Non licuit velis , cur nescio , grandibus uti ,
Hæc quoque , qui tendam carbasa , cura fuit .
Quin res tanta mihi est , quantæ subsistere summo
Æneidos Vati grande fuisset opus .
Ursinos majora decent , quin maxima , dices ,
Fit domus hæc , metris non satis æqua , minor ;

Paree : leves elegos animo meliore piamus,

Dum mihi, quæ Teucris Pallas, iniqua fuit.
Perdere quem decuit, pereat precor ille, libellus.

Qui leve (materiæ parcito) pondus habet.

Sit satis (hæc veniam poterit meruisse) voluntas,

Quæ dederit pretium versibus una meis.

D E P R E C A T I O
A D S A N C T I S S I M U M D O M I N U M N O S T R U M
P O N T I F I C E M M A X I M U M
B E N E D I C T U M X I I I .

PArva tibi, majora placent, sunt cura Poëtæ,

Quos levis, aut poterat nulla, decere fides.

Rara fides Vatum est ; non est tamen error in illis.

Hi quoque, sit liceat fabula, Numen habent.

Stemmata quòd recitem, damnas : damnabor iniquè,

Magna rudem subeunt nomina sæpe chelyma.

Astra metrum faciunt, veniunt ad barbita Divi,

Et quod amat titulis pondus inesse suis.

In modulos cogunt (non est scelus) omnia Vates.

Hinc erit, unde meæ sis pius usque lyræ.

Si rufis, ut rufis est, referat Tua nomina versus,

Sit volupe, in minimo Te quoque Vate legi.

Digna petis meritis ? fac sæcula prima renasci.

Tum bene Te Naso, si tamen ille, canet.

Fecit amor carmen, quod, si patiare, lituris

Solvero ; sed multi temporis adde moram.

Damnaram, nec enim voluit placuisse, laborem,

Et tantum timuit sumere carmen onus.

Jam prope, quæ cecini, Vatem cecinisse pudebat,

Dum tenuit, poterat me tenuisse, metus.

Me pietas, quæ summa Tibi est, facit esse disertum.

Musique, quòd valeat Te, facit illa, loqui.

Debu-

Debueram doctæ calamum donare senecte ;
 (Hæc modò si fuerit laudibus æqua tuis)
 Credere quæm levibus sinè Numine carbasa ventis ,
 Addere , vel minimæ pondera tanta rati.
 Si quod inest vitium Patrem tetigisse Quirinum ,
 Quod malè condiderat , vix amat author , opus .
 Scripsimus : ista meæ restare piacula Musæ
 Sentio ; fac veniat crimine pæna minor .
 Copia , quæ patuit de Te mihi plurima fandi ,
 Hos voluit tenues magna subire sinus .
Ursinam placuit revocare ab origine gentem .
 Ast animis visa est Musa favere minùs .
 Ambiet exiguus (parces) Tua stemmata limes ,
 Et repetet mediis littora Phœbus aquis ,
 Nam pudor , & spatum mea tollere vela coëgit ,
 Ille Jovem timuit , temporis istud erat .
 Si quantum immensæ credis miracula famæ ,
 Ipse velis tanti non nisi Vatis opes ;
 Omnis iners calamus , quamvis foret ille Maronis ,
 Hunc timeat ; timui sic ego , nōsse Jovem ,
 Partiris titulos : aliquid rapit Hungara tellus ,
 Semet ab Ursino Præside major ovat .
 Obruimur famâ : partem tibi demito laudis ,
 Fors erit , ut possis me quoque Vate cani .
 Scandere quod valeas solium , Tibi vota pararunt ;
 At virtus solium , quod merearis , erat .
 Quos atavos veneror , dicam (nî sacra vetaret
 Verba fides) quoddam Numinis esse genus .
 Nomina si regnis confers , tædásque jugales ,
 Quēis amor *Ursinam* junxerat antè domum ;
 Tum Reges venient , veniet de sanguine Cæsar ,
 Rex erit , *Ursino* sanguine , quisque tuus .
 Discat honor tantæ mirari nomina stirpis ,
 Et plus , si quid habet , non cumulâsse gemat .
 Occiduas si quæris aquas , si prima diei
 Atria , quâque sua promicat Ursa face ;

Esse tuum dices ; raroque modestia vultu
 Annuet , haec testes sanguinis esse Tui.
 Sæcula stirps numeret , summo contermina cælo ,
 Æmula cum socio sole recurrat iter.
 Lenta tuos Lachesis (Superi dent, neverit annos,
 Ampli sit à cæpto facta labore colus.
 Parcite Phœbeæ (valeant haec vota) quadrigæ
 Flectere per celeres aurea fræna vias !
 Qui modò prodigiis Româ memorante triumphas ,
 Tu poteris Româ non nisi flente mori.
 Annis adde moram (quod erit) vix sæcula mille ,
 Gesta , sed haec Musis quanta futura ! canent.
 Vive Pater populi , meritos dabit orbis honores ,
 Qui jam de meritis crescit uterque Tuis.
 O Qui nominibus cum sis generosus avitus
 Ipse velis studiis mitior esse meis.

S Y N O P S I S H I S T O R I C A
 De Familia Ursinorum Principum , Ducum
 de Gravina &c. Cui Narratio Poëtica
 innitur.

I. *D*ubiam Ursinæ Domus esse originem , grande antiquitatis est argumentum : quasi memoriam illa prævertisset hominum , quæ tanta semper exsilit , ut semper possit memorari. Nulla fuit ubique stirpis suæ principium , quæ ubique imperavit ; adeò , ut Europam ferè totam domum dixeris natalem , quam , ut suam diceret , gestorum magnitudine effecit , in eo iniqua posteris , quod illuc exporrigat gloriam , quod nec ingenii eniti continget. Cantabris Galli invident : utrisque Italia ; tantum sibi in Ursinos facientes juris , quantum hi accepere meritorum , ut ab omnibus peterentur. Umbria , Goths , Vandali que litem subeunt , dignam certè tantis populis , quia pro Ursinis pugnatur. In id tamen omnium mens cecidit : Italiam meruisse , ut Ursinos ex suis nominet , addereturque tribus antiquissimis familiis Columna , Sambelli

belli, & Conti quartam Ursinam: quarum ultra major sit, cum disces verius, cum nullam altera autem minorem; aded prima Italæ domus quælibet, ut singula orbis ultima esse mereatur. Annales excute, qui parem cum Regibus fecere semper Ursinorum memoriam. Ab Aniciis Consulibus Romanis se se erexisse pondus sit, non hodie natos. Annorum seriem à stirpe hac Nobili exactam, nec ab iis quidem petieris, qui digno sanè labore Ursinorum gesta in codices etiam maiores distractaxere. Christi eam Divis Natalibus quidam attribuunt; merita omnino, ut cum DEO nasceretur, quæ tot ex se Divos cælo transmisit.

II. Romanæ nos opinioni subscibentes, sic originem desumimus. Erat, ut Vandali, Gothique armis se peterent; pos remos Aldoinus Duci titulô moderatus, acrius hosti insistens, & victoriâ posuit & vitam. Luteria thori socia in Conjuge amissâ fortunâ Flandriam petiit novos mærores inventura, quos fugerat, ut bis jam extra Patriam esset misera, quæ semel esse infelix recusârat. Enixa quippe ex Aldoïno filium Mundillam (quod nomen si è Gothicò traducas, Patre orbum exprimet) peperit simul dolendi materiam, dum & nutrice filium, & seipsam privans filio, nescio, an plus fatis, an mærori moriens concesserit. Mundilla materno privatus ubere, invenit feram, quæ lactaret; ne vel origine minores dicas, quos & quârunt, Romanis fratribus, Ursinos. Ursâ namque matris subiens officium, latte prouidit infantî Mundillæ, donec is, & Matrem nollet Ursam, & amaret, id est: annis adolesceret, & ab ea nomen Ursi Flandrici sortiretur. Meritus subinde adultus sub Valentianio Cesare stipendia, eò bellicam produxit virtutem, ut Umbriam na- Elus in mercedem illuc semet eveheret, unde Europam ferè totam sibi posteri vendicarent; & cum extra Oceanum toutes messuisset victorias, ne Oceanus se nesciret magnum, hau- flus clade navalí Mundilla mare interitu suo fecit famosum, qui Regna penè omnia in sui famam excivit. Atque ex hoc Poëseos nostræ primum desumpsimus argumentum.

III. Mersam crederes in Mundilla Ursinam tot secu-

lorum, quibus supereft, fortunam; at in Cajo Flavio, Orfe, nescio unde terrarum, fervente tum in Italia bello è Mundillæ Ursi Flandrici posteris in Neapolitanum Regnum confidente, novam quasi vitam, & propaginem recepit. Is quippe adeò semet divisit in plures, ut ubi Reges, Duxesque se sustollant, semper aliquid invenias sanguinis, quod à Flavio emanavit. Hunc igitur Patrem Ursinorum annales memrorant, qui in se uno tot complexus est saecula, quibus vivendo Domus Ursina pugnaret. Dignus laudari à posteris dum tot reliquit orbi prodigia, quot de illustri hac radice Ursini surrexere. Regum factus est Pater, & Principum, laborante natura saeculis, ut in una hac stirpe, quidquid sparsim decoris contulit alibi, brevi compendio absolvat.

IV. Ab hoc proin fecundissimo Patre Umbria, & Romandillæ primùm Ursini imperabant, unde duplici velut Nilo Principes de Amandela, Solafra, Taranto, Nola, ac Gallutæ enati: Comites Pitigliani Tagliacozzo, Pacentro, utriusque Zentæ in Dalmatia, Materæ, Nerularum, Murri, Suani, Galeri, Angvillaræ prodiere. Vallatae, pene totius Apuliae, 6. Urbium Archi-Episcopalium Metropolitarnm, 30. Episcopali, 400. Castellorum, villarum & Oppidorum Domini, Duces demum de Bracciano, Asculano Venosa, Monte rotundo, & hodie Gravine longa annorum serie progeniti sunt. Nati sunt Ursini Gravine Ducatum Clientelari nomine, & Romanum Antislitem felici sanè tributo Regem, cui pareant. In Benedicto tamen & Ducem, invenies, & subditum nexu pulcherrimo; dura quantum Pontifex moderatur Ecclesiam, tantum Gravine Ducem, id est scipsum, accipit in clientelam, & à semet sibi proliiens tributum, Princeps idem, & subditus efficitur.

V. Metiare jam ex potentia Ursinorum dignitates, & splendorem, quæ levi calamo hic adscribimus. Vel inde magni sint, quod 19. Divis adscriptos è suis gratulentur. Haec eorum Catalogum.

Anno		Anno
Ursinus Episcop.	Bitur. 225.	Adalbertus Episcopi Pra-
Joannes] Ursini Marty.		genses 997.
Paulus] 362.		Gaudentius 990.
Ursinus Presbyter.	500.	Joannes Episcopus Tragur,
Scholaistica soror S. Bene-		1100.
dicti.	540.	Bernardus Episcopus Aprun.
Volusianus Martyr Archi-		1122.
Epis. Tolosanus.	570.	Jordanus S. R. E. Cardin.
Benedictus Monachorum Pa-		Cistercien. 1188.
triarcha, cuius etiam Nomen		Valerius Episcop. Nucerin.
Sanctissimus Noster accepit		1228.
	570.	Matthæus 1297.
Paulus I. Pontifex.	757.	Latinus S. R. E. Cardin.
Batildis Clodovei 2di. Gal-		Domini 1327.
liae Regis conjux.	665.	Joannes Ursinus Monachus
Gregorius Magnus Pontifex		Cassin. 1330.
	540.	

Romanos Ecclesiæ Antislites adnecto : Stephanus III sedid Anno 752. S. Paulus I frater germanus Stephani, Anno 757. Cælestinus III Anno 1191. Nicolaus III Anno 1277. Benedictus XIII. Anno 1724. hodie feliciter imperans. Magna Pontificum Nomina, quibus Roma, se Romanam esse, id est Orbis Caput nobilissimum ob gestorum gloriam adscribat. Cardinalium 40. Archi-Eppiscoporum ferè 70. Epi-scoporum 150. Nomina, quin & genuinum numerum inire non licuit.

VI. Ab Ecclesia ad Regna digrediar, & honores, quibus Ursinum sterna abundat verius, quam illustratur. Dukes Saxoniæ numerat 7. Brandburgi Marchiones 13. Senatores Romanos (Regali quondam honori par dignitas) censet 72. Gravinæ Duces 16. his adde Duces de Bracciano &c. Pro-Reges duos : Gentilem Ursinum Cæsar : Venceslai supremum Exercitus Ducem, denum Bohemia Pro-Regem creatum. Familiam Illustrem Rosenberg de Ursinis in Ducatu

Clivie, & Carinthie, in Carniola verò sub nomine Blagai de Ursinis instituisse ereditur. Alterum Ursum Ursinum Anno 1457. Regni Neapolitani Pro-Regis titulò donatum. In Germania Nobilissimam Domum de Rapolistain ex duobus Fratribus Ursinis Spoleti dominantibus circa Annum 1200. In Gallia verò ex aliis Ursinis, Duces Remenses ortos esse plerique contendunt. Summos Belliduces recenset stirps Ursina prope 100. Ex his 10 militem Pontificum moderati, 5. Romano Populo, & Urbi, 4. Neapolitani Regni, 4. Venetæ Republicæ (cujus Nobilibus adscripta est Anno 1426.) atque aliis alii Principum copiis præfuerè,

Romanam Urbem Præfectorum titulò gubernavere 4. ex quibus summa virtute, & meritis emicuere bini: Franciscus (Anno 1430.) & Joannes (1437.) Gravine Duces. Gonfalonieros, alias Florentia Præfettos, relittiis plerisque honorum titulis 6. memorant. Compone jam hæc omnia, & gratulare tot regnis initam cum Ursinis necessitatem sanguinis, quam paucis attulisse suffecerit.

Ursinæ Principes exteris Regibus conjugio sociatae.

S. Batildis.	Clodoveo 2do Galliæ.
Batildis altera.	Dieterico Saxoniæ.
Agnes.	Primislao Poloniæ.
Gunegunda B. Marg. Mater.	Belæ IV. Hungariæ.
Adelhaida.	Svenoni 3tio.
Agnes altera.	Henrico 12.
Metildis.	Christophoro I.
Elisabetha.	Christophoro 2do.
Catharina.	Gustavo Sveciæ.
Duæ aliae Ursinæ Principes.	Duobus Britanniæ.
Isabella.	Ferdinando I. Neapol.
Maria, Vidua Principis Ror-	Ladislao Neapolitano.
nandeli Ursini.	

RAGI

DANIE.

RAGI

RAGI</

*Ursini Principes exterorum Regum, &
Principum Filiibus Conjugio so-
ciati.*

Arabonus Ascaniae Dux.	Affalæ Vitichindi M. Saxonum Ducis sorori
Duo Brandenburgi Marchio- nes.	Beatrici, & Catharinæ Bohem. Regum.
Ursus Augustalis Septemvir.	Judithæ.
Joannes Ursinus.	Sophiæ.
Corradus.	Sophiæ alteri.
Poncellus.	Agneti Thessaliæ Regis.
Joannes Jordanus Braccian.	Mariæ Alphonsi secundi Neapol. Reg.
Dux.	
Hermannus Brandenburgi Marchio.	Annæ Austri. Alberti I. Imperat.
Otho Parvus dictus.	Edvigi Rudolphil. Imp.
Popo Ascaniæ Princeps,	Gondevinæ Ludovici pii Imperat.
Albertus I. utriusque Sax.	Helenæ Othonis 4. Im- perat.
Dux.	
Ursinus Comes Nolæ.	Alphonsi Regis Neapo. Sorori.

cum qua dotis titul& adeptus est Ducatum Amal-
phitanum.

VII. Illustrem hanc igitur natus Domum Natalem Be-
neditus XIII. hodie Ecclesiae Caput, Majorum in se vir-
tutem omnem collegit, illo solū major omnibus, quod an-
tequam Petri sedem adiret, semper illam meritus fuerit, pri-
us jam Pontifex meritis, quam diceretur, quasi pescassent Gu-
peri, si tot gravem virtutibus Patrem purpuratum, eō non
donassent solib, quod cælo tantum inferius. & quia cælo tan-
tum inferius debitum Benedicto. Orbi is primū natus sub
Annum 1649. Romæ 2. Februar. Ferdinando Gravinæ Du-
ce, & Matre Joanna Frangipana de Tolfa Duciis de Gru-

Filiis.

me

mo filiâ stirpis hujus ultimâ genitus. Dignus Pater, quâ vivat famâ in annalibus ; dignior Mater, quæ recepto ad Superos Conjugè è throno claustrum reperit : S. Dominici Familia, metamorphosi ex hoc magis laudabili, quia rariore, adscripta. Sacro in fonte præluisit cælum Petri nos habituros æmulum in Benedicto, dum Petri, & Francisci nomen Genitores Serenissimi eidem imponerent. Ne quæsiéris acta in primo ætatis flore ; egit illud, quod Caput quondam fidei futurum præluderet. Sed en novum Aquinatem profugum ? vertente enim anno 1667. Sacrum Dominici institutum 12. Augusti Venetiis domô citra Majorum veniam se proripiens sequi maluit, ac clarere in purpura, quam tamen ætate in 23. annum producta, 22. Februarii 1672. Clementis X. non jam dono, sed imperio admittere est coactus. Manfredonia (1675.) Cesenatense ab Innocentio XI. (1680.) demum Beventana mitra (1686.) insignitus tantum profecit cognatis sibi virtutibus ut, quod nomen Petri Gravinae quondam dux usurparat, exactis summis officiis tandem 29. Maii 1724. deferret in solium ; post trinas velut insulas dignè suscepitas trinâ rursum coronâ ornandus Magnus Ecclesiæ Præful effensus. Incedit etiamnum Roma lœtitiis, nattam se in Benedicto miraculum, habitura forsan, quem 19. Divis adjicit aliquando. Pene se major Urbs facta est sedente jam Benedicto, & unum id vulnus alit animo, se majorem adhuc fieri non posse, ut super orbem evelta dignitate sui Capitis humana esse desinat, quæ in Benedicto ipsum ferè cælum accepit. Obiit casas miserorum, nunquam sine Cælo, quia nunquam sine seipso ; ægris citra medicinam id conferens, quod sine prodigio redire in integrum non posset. Habeat posteritas in hoc Principe quod discat : imò admiretur unus anni circulâ tanta ab eo gesta fuisse, quod longa annorum ambitu multis enibi non licuit. Meluant improbi, quod jam sensere fulmen ; & meliore transitu à licentia ad pietatem, ament feliciter, quem impunè oderant, nî magni sceleri adjicientes maius, discant cum penitudine nihil

hil in Romano Praefule Ursino minus esse magnis Pontificibus, qui unum id vitium extra crimen circumfert, quod, aut par sibi inveniri, aut pro meritis laudari non possit.

VIII. Rudi nos hæc, & mancò fere calamò attenxiimus: brevitatem si incuses, Poëtam me profiteor; si dannes me longius progressum extra versus, vicio ne dederas. Codicibus alii Ursinorum gesta commisere, quæ nos tempore prohibiti exili hoc argumento inclusimus. Velle, liquisset extra legem carminis argumentum istud scribere; saepe citra Poëtarum somnia, facilius assequi, in quantum se laudis Ursina gens exporrigat, potuissim. Si quid veritati minus favens (at curavimus, ne quid sit) repereris, scriptorum, qui abundant, genio apponas. Sunt autem. Censorinus, Zazzara, Amiranus, Gemurinus, Marra, Ciaconius, Abbas Justinianus, Sarnelus Ugheilius. Schönlebius in Rosa Ursina, Panuinus, Spenerius, P. Dominicus Viva, P. Christ. Schainerus S. J. Dominus Fabius Caracciolum, Joannes Blaeus in Atlante, & autographum Romanum, quos, si libet, ut dignum est, de URSINIS Consule.





DOMUS URSINA, POETICA NARRATIONE DESCRIPTA.

§. I.

Roma Principe suo destitutæ post obitum
INNOCENTII XIII.* ad Jovem gemi-
tus, & vota.

AUrea nascentis (Dominæ sed iniqua Quirinæ)
Si meminisse licet, tempora veris erant.
Primus honor nemori; rediit sua forma Napæis,
Sors ubi Tarpejam vestiit atra Deam.
Phyllis amavit oves; Najas redamaverat undas,
Roma tamen viduas fleverat orba faces.
Forma Deæ cecidit (vitium fecere timores)
Dum grave, sveta Deos vincere, vulnus alit.
Jura dabat lachrymis, quæ jura negavit amori,
Plus poterant lachrymæ, quam sua lingua, loqui.
Vicit labra timor, nubem meritura Sabæam,
Fugerat, apta legi sensibus ora, Venus.
Pepla fluunt capiti; puduit flevisse videri,
Quæ toties populis martia jura dedit.
Quid quid erat, vix Roma fuit: jus omne querelis
Credidit, unde suas Tibridis auxit opes.
Sæpe tulit memores animo moriente dolores,
Hancque dabat, si quam, vocibus ire viam.

Redde

(*) Mortuus est Sandissimus Dominus Noster INNO-
CENTIUS XIII. 7. Martii 1724.

Redde diem (sic fata Jovi) frontisque serenum,
 Si tua, pacta fides suggerit ista , vocor.
 Sceptra fero populis , populi modò passa ruinam ;
 Quod patiar , sceleris pars erit esse Deam .
 Cum fierem , parvusque daret mihi mænia limes ,
 (Si mihi , qui foveat mænia limes erat)
 Non nōram lachrymas , quas nec didicisse vacabat ,
 Sors tenues , censu divite , fecit opes .
 Æmula jam Superis , Numen Dea facta requiro ,
 Vix hoc , quod pereat , porrigo læsa caput .
 Sæcula quæ memoro , faciunt mihi sæcula fletus ,
 Tantane de Domini funere Roma cadam ?
 Fac leve sævitiae spatum , magè sævier illo
 Fulmine , quod superas concutis ipse domos .
 Crede mihi , melius me non sensisse juvabat ,
 Quæ nova , Contæo sunt data sceptra viro .
 Occiduos cineres (non sum tam barbara , restat
 Et sinus , & grati pectoris ardor) amo .
 Vivit adhuc (vivet) cuperem minor ille fuisset ,
 Plurima qui minimæ verba paravit , amor .
 Dum tua Tarpejæ posuisse Numina rupi ,
 Hæsurâ dederas talia dicta fide :
 Est pretium coluisse Jovem : servaberis ævo ,
 (Sed queror à pretio nunc abiisse Jovem)
 Vertere , qui valeat , (fulmen tua verba probavit)
 Regna , vel imperio tela det , ullus erit .
 Prima caput tolles ; primos decernet honores
 Orbis , & à summo es , prima futura Jove .
 Aut ego deserta , quod nolle , rupe priores ,
 Deposito repetam fulminis igne , lares ;
 Quam desit , qui sceptra manu , qui tractet habenas
 Impiger , aut viduas qui sinat esse faces .
 Facta mihi tanti es , possim quam tutus amare ,
 Grandia vel meritis reddere dona tuis .
 Sæpe preces placitura dabis ; sed pondus habebit
 (Ah habeat) gracili proditus imbre dolor .

Sub juga , polliceor , veniet gens barbara , tantæ
 Pareat ut Domiuæ , vix juga facta putet .
 Martis eras soboles ; sed eras Jove digna creari ,
 Non valeas , nisi me Judice , Roma mori ,
 Ipsa modum poteras ternis posuisse Deabus ,
 Lis ubi formosas quæsisti illa genas .
 Si studium Paridis (non liveo) Roma fuisses ,
 Quàm foret in pretio Tyndaris ulla suo ?
 Te Tibridis servabit amor ; Te turba procorum
 Ambiet , at thalamis Roma sit apta meis .
 Es Jovis (ah utinam vitium data verba recusent)
 Hic quoque , si livor provocet , arma feret .
 Hæc quondam , memini , placido gravis ore canebas ,
 Sed rapuit vacuam ventus , & aura fidem .
 Ergo jube titulum miseræ meruisse , nec illud ,
 Quô dici valeam maxima , redde decus .
 Omnia si confers , merear licet omnia , mitte
 Qui regat ; hic summi muneris instar erit .
 Si cupis , ut peream (diî dent mihi posse perire)
 Non ego sim telis prima petita tuîs .
 Tot tibi sunt artes , quot sunt tibi verba , nocendi ,
 Parce , quòd hæc culpæ conquerar apta tuæ .
 Jam minus invenio , quàm sis mihi pactus amorum ,
 Quòd peream , laudis pars erit una tuæ .
 O mea , quòd placuit , mallem minus apta fuisset ,
 Quæ toties oculis forma cupita fuit .
 Si placuere genæ , veniam modò deprecor illis ,
 Hæc poterant Dominos arma movere Deos .
 An ludar , sensimque fleam mea damna pudoris ,
 Hei mihi , si longas det dolor iste moras !
 Finge tibi miseram , nisi dedigneris amare ,
 Anne pium miseris , quod queror , esse pudet !
 Hæc tibi si subeant (lachrymas simul addimus istis)
 Imposito viduas Principe deme faces .
 Sic mihi , sic populo , sic tu misereberis orbi ,
 Sic poteris fatis reddere fata meis .

Conticuit tandem , nimbisque potentiùs usæ ;
 Excipit exanimis dextera lassa genas.
 Officium famulæ subiit manus utraque ; donec
 Explicuit placidus vincula nigra sopor.
 Scilicet , est pretium lachrymis , pondusque querelis .
 Aut lachrymæ , aut fidus Numinæ flectit amor.

§. II.

*Roma lachrymis indormiens in Regiam
 Morphei deducta ab eodem con-
 solatur.*

Interea tacitis se se Pater aureus umbris
 Induit , occiduis jura datus aquis.
 Jamque Phlegon roseum submovit dentibus aurum ;
 Nubila demeritam fessa tulere diem.
 Cynthia stelliferes , pulso Titane , triumphos
 Duxit , & in niveo condidit arma lare.
 Plurima nox tetram , cælo tamen usa serenè .
 Conteo sumpsit funere mæsta togam .
 Parrhasiæ risere faces Junonis ad iram ,
 Ursaque , deposito Virginis ore , micat .
 Ponè vigil reducem discurrerat Arcas in orbem ,
 Quærit adhuc dubio , quo micat igne , Patrem .
 Grandior Icariam (Superi ventura docebant) (*)
 Sirius æstivo referat ore facem .
 Excubitor denos in Bello Miles Orion
 Excoluit tacitæ lampadis igne sinus .
 Roma papavereum petiit sopita theatrum ,
 Regnaque pacifici , si modò regna , Dei .
 Somnia mentitos texebant ordine versus ,
 Fur prope , qui raperet lumina . somnus erat .

(*) Signum Sacri Ordinis Prædicatorum , ex quo
 Sanctissimus Noster est .

Regia tum patuit, vel si magè dixeris umbra,
 Condere quisque sibi, qui veit, ausit opus.
 Mensa tenet medium (tum fors nova sacra parabat
 Morpheus) & multò nox fuit acta merô.
 Fervet opus mensis, comitantur pœcula votis,
 Sunt tamen hæc tacito (lex erat) acta lare.
 Fit sonus: increpuit non fidæ pessulus auræ,
 Impetiit, lento pollice, Roma fores.
 Ut simul accessit, tenuere silentia mensas,
 Cœperat ignotos, quæ Dea visa, Deos.
 Morpheus umbrosam Divæ substraverat urnam,
 Pristinus à primo solvitur ordo thoro.
 Ille loco refugus jussit succedere, quisque
 Officiis voluit primus adesse suis.
 Obsequiô pugnavit amor; quin Delia vultu
 Candidior, niveas imbuit igne genas.
 Tum brevibus, vetuit mœror quia pluribus uti,
 Diluit urbanas ankia Roma preces:
 Tollite sollicitos, inquit, mihi pectoris ignes,
 Conticuit, mediis pervia facta, vadis.
 Ast Pater, ut famula Romæ babit aure loquellas,
 Arrigit impexæ tempora nigra comæ.
 Bisque papavereô circumdans tempora fertô,
 Qua licuit, cœpit talia, voce loqui.
 Res tibi difficiles (novi) facit æqua labores,
 Sacrâque (sed ponet) lintea turbo vehit.
 Cæde metu, meliorque tuo da fræna dolori,
 His faciam dignis fletibus esse modum.
 Desine curarum: passisque impervius alis
 Grande, sed optato sydere, monstrat iter.

§. III.

*Roma in campos Elysios Romanorum de-
ducitur.*

Jamque iter ingressis mœror crescebat eundô,
 Et via quæ lachrymis, passibus æqua fuit.

Spe trahitur tenui ; sed spe sibi spondet eadem,
 Nî vitiet livor pectora, Roma caput.
 Sæpe reformidat, ne quos fugit illa timores,
 Flebilis, è veteri semine reddat, amor.
 Adversa se fronte petunt, renovantque duellum,
 Hinc metus, hinc dubia spes jacit arma manu.
 Viderat ut vulnus (pars est námque ille Deorum)
 Morpheus, hac animi vulnera voce levat:
 Regna ruunt redeuntque suis nascentia fatis,
 Pallida regales, lex monet ista, fores.
 Ludibrium fati trahimur ; primaque notatus
 Luce, gemit vitæ busta parata suæ.
 Pars eadem tumuli est, quæ pars fuit aurea vitæ,
 Fit sibi, divulso, stamine quisque rogus.
Magnorum sors ista virum est : succedimus urnæ,
 Inque necem nimium prodiga turba sumus.
 Quod perii, scelus esse nega, periisse juvabit,
 Reddere sors potuit flebilis ista parem,
 Dixerat, & placidis Zephyrus corriserat alis,
 Inque suo lento munere fallit iter.
 Luna redux medio se se libraverat axe,
 Parva jubens, modica lampade, castra mori.
 Res nova Romanos, quamvis sua, cœpit ocellos,
 Digna, sed augustis Vatibus illa, cani.
 Scena patet, licet umbra foret, lususve Poëtæ,
 Illa tamen veri conscia scena patet.
 Sylva fuit, grandis nemini labor illa Deorum,
 Quâ visâ possis dicere, Numen inest.
 Finditur ambiguum, sorti sati apta latinæ,
 Et speciem sylvæ non morientis habet.
 Laurigeræ rident frondes, tremor est tamen illis,
 Nequis Apollineo læderet igne comas.
 Conticet omne nemus : memoris jus sustinet ales
 Cæsaris, unde suo fulminet ungve reos.
 Lustra negat tigridi ; negat impia lustra leoni,
 Nulla patent monstris limina, nulla feris.

Nullus adhuc pressō sulcum patefecit aratō,
 Semina, qui, terræ credidit, ullus erat.
 Sponte sua galeæ, veterum monumenta Quiritum
 (Hoc Mavors tumulō condidit illa) virent.
 Palladeos pars ista focos, pars altera Martis.
 Fana tenet, mediō stant sacra lība Jovi.
 Exulat inde Venus, nec habet sua castra cupido,
 Quin habet, at spolii nomine fracta jacent.
 Cæsareos licuit numerare ex ordine manes,
 Sunt quibus augusta credita fceptrā manu.
 Quos geminos Lucina dedit, quos livor ademit
 Fratres, & spretæ perdidit ira demus,
 Se redamant geminis posito livore coronis,
 Est sibi cum Remo Romulus unus amor.
 Manlius inde comes Syllæ, tacentaque Fabi
 Pignora, tranquillæ tempora pacis agunt.
 Julius ingratō confossum viscera ferrō,
 Lætior, absterfo vulnere, stella micat.
 Claudius ipse suos, hinc promit Titus honores,
 Is fungō, meruit digniūs iste mori.
 Nec retulisse vacat, majus mihi panditur æquor,
 Quos tulerat, quamvis visa tulisse, Duces.
 Pars memores recoquit, festiva per otia lauros,
 Pars legit, exuto corpore, pacis opes.
 Bella placent Ducibus; repetit certamine Cæsar,
 Hæc quoque, si referam, res superabit opus.
 Vivitur, & tacitūs nova sæcula porrigit annis
 Tempus, & in refluūm sæcula dicit iter.
 Scilicet Ausonios, quæ gens magè proxima cælo?
 Sylva Duces aluit, claudere digna Deos.

§. IV.

Roma se à priore abiisse mirata Domui Ur-
 sinæ familiae accedit.

HÆc ubi confictō spectārat Roma theatrō,
 Sollicitant dubium visā, metūisque finum.

Se modò miratur, veterum memor inde Quiritum,
 Ipsa negat partem se fore Roma sui.
 Tempora, quæ vitium primo fecére sub ævo,
 Tempora vix meritis gignere nata Diis,
 Mente colit, versámque videns per saecula formam,
 Illáne Roma mihi fabula, dixit ero?
 Jam prope suscepit damnárat vota laboris,
 Jam prope, quod subiit, linquere certat iter.
 Morpheus, ut misero, revocatas pectore curas
 Vedit, & insuetō labra colore mori.
 Quique tener niveis, formæ miracula, malis
 Sanguis ab incepto tramite linquat opus;
 Grande latet pretium, de pectore tolle timores,
 Inquit, & à prima est, non tua forma minor.
 Finiérat, pressæque gravi formidinæ Romæ
 Binæ soporifero lumina fasce ligat.
 Tum nemus ex oculis, ut erat modò vilis imago,
 Vix benè, quod firmo stet pede somnus habet.
 Non secus, ac celeres, si jus moriatur ærenæ,
 Obruit attonitos ebria Tethys agros,
 Aut velut indomitæ, nec enim minor ira, favillæ
 Exercent viduam, quæ sine teste donum.
 Dum loquor alternis moritur data sylva figuris,
 Et nova stat, verso nomine, forma loco.
 Quæ facies inerat nemori divina, remansit,
 Visa fuit pretium vincere forma suum,
 De luco moriente demus, de fronde colossi
 Vivere, de timidis fulcra stetere focis.
 Ursiadum Domus illa, meos rapiēbat ocellos,
 Si memini, superis non aliena patet.
 Si cæli, convexa trahant peritura ruinam,
 Quique polum fulcit vertice, ponat onus;
 Possit in hac, si fortè fidem meruere Poëtæ,
 Quærere, conjecto pondere fulcra domo.
 Jaspis obit fidæ circum sua mumia testæ
 Si pretium domui deforet, inde foret.

Quidquid inest operi (fuerant tamen omnia) dignum
 Numine , cùi licuit cernere , dicet opus.
 Limen in artificem ducit monumenta coronam,
 Quod decoris , pietas Martis habere dedit.
 Nunc *Rosa* purpureis animat spectacula malis
 Nobile nam memini ducere stemma *Rosas*. (*)
 Hinc serpens vario vivum mentitus amictu ,
 Cui trifidum pugnat dentibus omen abest,
 It Comes , & binis faciunt sua castra tabellis ,
 Et dant *Ursinis* utraque signa viris.
 Turris in adverso loquitur certamina campo ,
 Mars ubi , cum socia Daphnide , tela parat.
 Si qua fidem rabies (nec enim mordere recusat
 Hæresis) ut svevit livida , dente premat.
 Mænia sacra patent , victo timor ultimus hosti ,
 Quò ponet stygius , si ferat arma , furor.
 Ambit limen Honor : fulvis pretiosa metallis
 Majestas , socium possidet inde latus.
 Gratia rura tenet , spatio licet illa minori
 Finiat , immenso corpore , multus apex.
 Volvitur amnis aquæ , dubito Tibridisve , Padive ,
 Sed reor , Ausonii Tibridis unda fuit.
 Si Titan roseas dispenset ab æthere flamas ,
 Crederet hanc partem numinis esse sui.
 Vile decus gemmæ , gemmis quoque vilius aurum ,
 Unio sis pretiô jam minor ipse tuô .
 Nempe , vel à meritis domus hæc , vel ab arte Deorum
 Nulla , quod arrodant tempora , vivet opus.
 Aut cælos migrâsse putas , abiisse Tonantem
 Sedibus , hicque suas astra locâsse faces .

§. V.

(*) Scutum Gentilitium Ursinorum , Rosam , serpen-
tem , Ursam , & turrim præfert.

§. V.

*Roma in Domum Ursinæ familiæ inducta
de futuro Capite suo, seu Pontifice edocetur,
cujus familiæ ortum, & gesta Historia Poë-
tica defluente per faiem velose rela-
turam spondet.*

JAm prope sollicita rapitur de Virgine vultus,
Votaque, cum vitæ stamine, lenta trahit.
Qualis ab opposito moritur nix obvia Phœbo,
Et mora deciduas de nive ducet aquas;
Haud aliter tacito fugiens pede vultus abivit.
Dum vigor à teneris visus abesse genis.
Viderat ista suo, qui somnia pingit amictu,
Adstricto viduat, fasce sequente, Deam.
Atque ait (eduicti famulo simul indicis usus
Munere) certa patent gaudia Roma thori.
Non redeant timidi (redeat prior illa venustas,
Si quis amor vitæ ducere fila) metus.
Designat tum voce lares, curisque remissis
Spem dederat paetæ, si modò credat, opis.
Roma tenet lachrymas, quamvis stupor ipse negaret
Fletibus incæptam, si volet illa, viam.
Luminibus sua jura facit, sensimque serenos
Induit, absterto vulnere, Roma sinus.
Suda Deam facies, qualem sibi Tyndaris optet
Ornat, & in vultus fert nova castra color.
Se probat, inque locum (legem timor abstulit illis)
Compulerat rutili ponderis ire comas.
Ardet amore sui (Lex hæc comitatur amantes)
Et sua, quæ tulerat, fata tulisse volet.
Lapsa sinum repetunt tranquillo syrmata passu,
Accipit exutam pristina forma diem.
Altera visa sibi est, quæ spe non vixit eadem,
Sed dubiis nimium fluctibus acta fuit,

Scilicet occultas revehunt data vulnera vires.
 Déque suo pretium vulnere quisque legit.
 Ut primā teneros domus ista subivit ocellos,
 O decus Ausoniæ (subdidit illa) plagæ.
 Orba fui, dolor est, sed si quis sensus amoris.
 Numina, quæ poteram demeruisse, capit.
 Quod solū timui, solū mihi demere restat,
 Est pietas tantis demere pauca malis.
 Regna suam memorant, populis fero jura: sed orbam
 Me populi damnant, me mea Regna, viro.
 Si merui, quod amica tamen meruisse negabo,
 Sit satis in lachrymis sæpe fuisse piam.
 Pluribus illa Diis pugnarat, plura parantem,
 Impediit, tacitîs passibus actus honor.
 Is gravis accepti mensuram nominis implens,
 Officiis pugnat nobilis esse suis.
 Atque togæ, vetuit sibi plura, remissus ad oram,
 Pauca, sed hæc causæ proxima, verba refert.
 Has tibi propitias, quis te Deus oderit? ædes
 Contulerat domini provida cura Jovis.
 Pristina devictis compones fædera curis,
 Nec capiat dubius tetrica corda pavor.
 Huc ades: & niveam complexus pollice dextram,
 Se comitem notæ jussérat ire viæ.
 Dum simul Ursinos, ut erat studiosa videndi,
 Contingit augustos, Virgo Latina, lares.
 Imperium Virtutis erat, sua vincula limen
 Solvit, & adstrictæ sustulit arima seræ.
 Riserat indiacis murus bene cultus arenis,
 Vel quô, Pactoli littoris hospes, ovat.
 Ipsa domus multo sibi nobilis uritur aurô,
 Nempe fuit tantis, quos colit, æqua Viris.
 Atque ita dum medias venit delapsa sub ædes
 Roma, daret curis otia, jussit honor.
 Jussa subit, repetitque suo Dea singula visu
 Unde foret rebus mitior ara suis.

Talia scrutanti rarae miracula scenæ,
 Res nova, sera licet, prodiit apta Deæ.
 Altera magnifico subeunt spectacula passu,
 Quæ nisi Phæbe canas, nulla Thalia canet.
 Invidiam mereatur opus, si livor haberet
 Nulla quibus potuit culpa subesse, Deos.
 Aut cælum fuerat, vel si quid majus Olympo
 Quod licet ingenio Vatibus ire, patet.
 Quippe Delim series, quæ sunt hæc stemmata curæ,
 Congruus in varios sustulit ordo thronos.
 Summa tenet, congesta suo, quæ tempora jure
 Promit, & in multum, visa recondit opus.
 Dextera fert librum, roseum tenet altera florem,
 Stemmati ista memor, temporis illa fuit.
 Forma Deam loquitur; niveam frons sacra senectam,
 Quæque chaos poterat mente tenere, refert.
 Emeritam comites ornabant sæcula Matrem,
 Sæcula, sed numerò non adeunda meo.
 Historiam dices: sunt fata, necésque nepotum
 Et genus, & generis nomina scripta Deæ.
 Tum sic orsa fuit: reddam meliora querenti,
 De lachrymis faciam, quod petis ipsa, legas.
 Pandimus Ursinæ quantùm licet esse disertis
 Stemmati (Phæbe mihi suffice plectra) Domus.
 Quæ tua sint nosces, quæ sint tibi numina pandam,
 Quodve pium Roma es promeritura caput.

§. VI.

*Historia Poëtica narrat originem Ursinorum
 Luteriae amissō conjugē Aldoinō ad Super-
 ros preces, & consolatio. Vide
 Synops. Num. 2.*

Tempus erat, quod bella feris dominata ruinis,
 Quassabant timidas, martia tela, faces.

Omnia:

Omnia flammiferô pressit Bellona flagellô,
 Aurea pax viduas, fregerat ungve, comas,
 Vomer opus renuit, didicit nova vulnera ferrum,
 Et rufis ad domini pondera taurus erat.
 Orba jacens thalamîs raro de semine regna
 Paucula, vel poterat nulla, tenere Ceres.
 Nulla quies chalybi, quis enim sub Marte requirat
 Otia? sollicitas hauserat ensis opes.
 Miscuit ira viros, quos ira diremerat, idem
 Tum furor, & sitiens sanguinis arsit amor.
 Vandala gens animos, animos Gothus attulit inde,
 Illa dolô facilis, promptior iste manu.
 Donec in Aldoîno (Gothicæ Dux ille catervæ)
 Vandala viâtricem repperit ira viam,
 Occubuit, voluitque modum posuisse Gradivo
 Dux, ubi cum Gothicæ nominis ense jacet.
 Fata Ducis miles sequitur, fusique triumphum
 Principis Aldoîni Vandalus hostis habet.
 Ingemuit conjux domini Lutheria fatis,
 Et grave, de cæso conjugæ, vulnus alit.
 Officii restabat opus, quô manibus urnam
 Adderet, & timidis thura verenda focis.
 Ipsa rogos celebrat vieti de more mariti,
 Libaque propitiis iusserrat ire Diis.
 Far tenuit manibus, multô riget ara cupressâ
 Donec flamma suis lamberet astra comis.
 Addiderat longos tumulo Luteria fletus,
 Sæpe Diis lachrymæ ponderis instar erant.
 Hic meus ardet amor (queritur, simul ungue capilli
 Aurea, quas pressit fibula, fræna secat)
 Ipsa rogus mihi sum, mæror mihi suppetit, unde
 Vel statuam lachrymis, vel necis, ense modum.
 Est scelus in Superis; non sum scelerata, dolori
 Cædimus, in vitam jus habet ira meam.
 Cur rufis armorum fueram? natura negavit
 Martia pugnanti jungere tela viro.

Jam ferrō meditata viam , moritura resolvit
 Pectora , & in niveos apparat arma sinus.
 Cum lachrymæ tetigere Jovem : faciemque diei,
 Inachidos recoiens tempora , nube rapit.
 Flamma focis moritur , multa caligine tellus
 Phæbeas nequit cernere pressa , faces.
 Jupiter intus erat ; rutilo qui nubila sceptrō
 Solvit , & educto diffidit ore chaos.
 Fata finas superis , numen sibi servat amores ,
 Mater es , & tituli pondere Mater , ait.
 Sylva fidem solvet ; capient sua regna nepotes ,
 Trina dabit , plenam stemmate , Parca colum.
 Corrige mæroris seriem , compone timori
 Fræna , nec in saltas lumina solve nives.
 Dixit : & inducta se nube revexit in auras ,
 Spes animo , tutas numine , ferre jubet.
 Scilicet Ursine prænuntia gentis origo ,
 Consilio decuit notior esse Jovis.

§. VII.

*Luteria Mundillam parit ; illa vertitur
 in Rosam ; ejus velamen capit is in ser-
 pentem.*

Illa diu promissa coquens sibi vota Tonantis ,
 Non poterat certâ , discere dicta , fide.
 Oderat inde moras , firmo tum pectore figit ,
 Non nisi delassò linquere lustra Deo.
 Subscribit Superis animo , nemorisque recessus ,
 Seu foret imperium , seu foret ira , colit.
 Tempus erat , Lucina suos , dum solveret ortus ,
 Reddere quēis uteri pondera juſſa fuit.
 Favit amor cunis , pretium meruere querelæ ,
 Dum nova fæcundæ nomina matris habet.

Absolvit Lucina fidem ; Mundilla Parentem
 Dicit, & è cæso conjugè natus adest.
 Vix primæ jus lucis habet, rudimenta futuri
 Magnanimô loquitur sanguinis ore puer.
 Frontis opes insedit amor, sibi pectora virtus
 Accipit, & toto vivit in ore Venus.
 Vix mortale fuit, quod erat ; fors prodiga dici
 Hic potuit, totas vel modò cessit opes.
 Cum nato crevère metus, Luteria nimbus
 Incipit, & lachrymîs fit minor ipsa suîs.
 Lenit amor soboles, si quæ dolor arma capeſſat,
 Duráque natorum pondera, vincit amor.
 Attamen adversis petitur Luteria telis,
 Semper idem sobolis, quod dolor, uber habet.
 Cura dabat fletus, geminat singultibus undas,
 Nata sibi è nata prole querela fuit.
 Fleverat ante suam mater sibi sola ruinam,
 Nunc tamen è gemino vulnere fata gemit.
 Par est cum puero matris concordia flendi,
 Causa fuit flendi mater, & una puer.
 Tantane perpetiar ? series (ait) ista malorum,
 Ultima, sub certæ vulnera mortis eat.
 Astra fidem minuere suam ; si numina tollant
 (Fausta vehet miseris sydera nemo) manum.
 Quod supereſt moriar ; vixi non sola ; sub iſtu,
 Et puer, & tumulo proxima mater adeſt.
 Sim pia ? sum frustra. Pulchrum est vicisse rebelles
 Adversa, fuso sanguine, morte, Deos.
 Finierat : magnis gemuit singultibus æther,
 Mæſtāque, dejecto corpore, plaudit humum.
 Rem miram ! tenues foliis incluserat artus,
 Pallida pæſtanus colligit ora rubor.
 Crura petit cortex, utero tenuatur inani,
 In morem fruticis poplite mordet humum.
 Cæſ.ries disincta fugit, varioque recessu,
 Non visa modicos circinat arte finus.

Corpore spina riget (dolor hæc sibi signa reliquit)
 Cætera pæstani nomina floris amant.
 Vox sub voce perit , fandi fuit una cupido,
 Quam suus , è superum munere , pensat odor.
 Sic sua (quod divi voluere) pericula formæ ,
 Pulcher in amissa Matre , rependit honor.
 Utque Rose florum dignissima sceptræ senatus
 Adjicit , Ursinis est Rosa digna viris.
 Stemma Rosam meruit , titulum quia Principis ; inde
 Debuit hoc florum principe flore coli.
 Restabat tegmen capitis , quo castra capilli
 Induit , & pennis crinibus arma dedit.
 Pugnantes didicit mentiri tela colores ,
 Immaduit dominæ fletibus illa suæ.
 Hinc velut in tenuem sensim protenditur alvum ,
 Accipiunt variam tegmina viva cutem.
 Pars fugit in caudam , volucrem pars suscipit angvem
 Prodiderant vivam mortua vela feram.

§. VIII.

Mundilla lastante Urſa à Diana inventur ; Illius Diana curam suscipit ; hanc cum Rosa , & serpente scuto Gentilitio Ursinorum inserit.

Interea largis monuit Mundilla querelis
 (Nulla Parens , fuerant ubera nulla) nemus.
 In questus abiisse putes , si copia fandi
 Adforet , aut nōisset , quō sua fata loco .
 Pectora lenta fames pavit , dedit ubera fletus ,
 Improba de puero sumpserat arma dolor.
 Ponē latus mater , jam non sua , sæpè retorsit
 Quæ rosa non poterat lumina , prona caput .
 Flens vocat , è Divum fato , genus omne ferarum ,
 Facturus , Superis prælia digna , puer .

Ad cunas venere tigres ; sed inutilis hæsit
 Quæ posuit rigidam , crudior ira sitim.
 Circumstant acies , patuit Mundilla ruinæ ,
 Milleno , ut caderet vulnere mille feris.
 Ursæ tamen nullo plagam meditata furore .
 Uberis imminuit mitior , imbre famem.
 Fors erat , ut rauco nemori daret otia cornū ,
 Cui tria , de terno , nomine sacra placent.
 Jam juga defessos Phæbi sensere lupatos ,
 Floraque deciduas clauerat ipsa fores.
 Diva gradu propiore venit succincta Napæis ,
 Pars cane , pars jaculîs ibat onusta latus.
 Pulchra Deæ facies , qualem juvat esse Dianæ ,
 Sed gemuit læsus pulvere frontis honor.
 Ut vidit (cæli fuerat pia cura) ferarum
 Agmina , Diva refert : arinet arundo manus ,
 Nunc mihi discussis confurgent prælia nervis ,
 Donec equos , cælis Lucifer alter , agat.
 Arripuit telum : telum sensere , fugæque
 Committit timidos turba ferina pedes.
 Séd pietas Ursam yetuit (quid possit amati
 Gratia) sollicitæ vertere terga fugæ .
 Lactea mella dabat puero , positura salutem ,
 Si sua fit soboli perdita vita , salus.
 Jam prope deducto vulnus patefecerat arcu
 Delia , cuī sylvæ , cuī patet omne nemus ;
 Admonuit stupor , & nervo sua jura remisso
 Accipit , inque suum jusserat ire locum.
 Ursæ minas posuit , vultu venerata Dianæ
 Numina , quodque latet pectore , pandit onus.
 Res tenuit Nymphas , quævis sibi sumere certat ,
 De brachiis famulæ , pignora rara , ferae.
 Illa manu roseis præbebat balsama labris ,
 Illa jacit niveis oscula mille genis.
 Hunc pluvio Danaes , ait hæc , conceperat aurô
 Est pars , quod liceat credere , magna Jovis ,

Tandem Diva suas puerum jubet ire sub ulnas,
Cùi fermè immeritam tela tulere necem.
Crescit amor venis, ardet modò nomina Matris
Sumere, jam titulos Virgo parentis amat.
Magne puer, fatur, fas sit mihi talibus uti,
Quis Deus, ut tantus conciperere, fuit?
Cresce, sed in nostros succresce puelle favores,
Provida, suadet amor talia, Mater ero.
Accipe spem generis, sum non ignara futuri,
Plurimus Ursini nomine vivet avus.
Finiérat Dictina: decet clementia Divos:
Dat sua pro sobolis munere, dona feræ.
Cælestem subiisse domum voluisset, at illam
Parrhasis, obscuris ignibus, Ursæ tenet.
Occupet Ursinos (dixit) pia mater honores,
Hæc sit venturi stemmatis Ursæ decus.
Hinc modò tria manent monumenta perennia stirpis,
Quæ tibi natalis, cerne, tabella notaz.
Est rosa mutatam vultu fassura parentem,
Causaque suscepti nominis Ursæ manet.
Angvis amat medium, rosa proxima jungitur angvi,
Flos amore est, angvis sœcula, & Ursæ polus.

§. IX.

Mundilla à Diana educatus leonem ve-
nando persequens à Flandria adamatur
quæ in terram sui nominis vertitur. Vi-
de Synopsis Num. 2.

Pignora villoſæ nemoris surrepta parenti,
Delia divinas duxerat inter opes.
Ubera solvit amor: quantum est reperisse Dianam!
Quæ puero curas præbuit usque suas.
Nil cunas mortale subit, cecinere futuri,
Cum sopor arctaret lumina, gesta Deæ.

Sive per umbrosos gestaret tela recessus,
 Vel faceret timidis ludicra bella jugis,
 Cynthia, Mundillæ secum gestabat amores
 Is sibi, quem feriat cordis arundo, fera est.
 Ut puer ardor erat, studium sic nauctus amoris,
 Et plus Nympharam, quam suus, ille fuit.
 Ast ubi sub dubiis lanugo riserat umbris,
 Primâque de puero Flora recepit opes,
 Omnia numen erant: animô Mars, fronte Tonanti
 Æmulus, Alcides pectore, labra Venus.
 Hectora conspicias vultu, quem Græcia vellet
 Ultorem Phrygiaz conjugis esse suæ.
 Otia sunt arcus, sed non tua tela cupido
 Non decuit Paphius regia corda puer.
 Membra sagô tumulat, describit tempora cassis,
 Et tota loquitur pectoris arce virum.
 Sive Deæ sequeretur opus, seu lustra requirat,
 Daphneum, meruit victor ubique decus.
 Nec jaculum dimisit iners, dum vulnera telo
 Figere, qui posset certior, ullus erat.
 Est nemus æquoreis ponti vitiable telis,
 Belgica cui propior jungitur unda mari.
 Absolvit modicas arbor non maxima sylvas,
 Congrua vix sylvæ nomina, sylva ferat.
 Has venit (sors magna fuit) Mundilla sub umbras,
 Ludicra deceptis bella movere feris.
 Nescius errabat certa sinè Gnosside saltus,
 Sed felix error, si tamen error, erat.
 Exarmat pharetram, dextræ conjurat arundo,
 Atque decens, cupido vivit in ore furor.
 Forte satur latitans post grandia bella ferarum,
 Se librat, insolitis passibus, inde Leo. (*)
 Expavit Mundilla nihil; furor urget utrumque,
 Ille fugâ certus vincere, at ille manu.

Inse-

(*) Leo insigne Flandria;

In sequitur properam per silvæ devia prædam,
 Donec in oppositas, se fera mersit, aquas.
 Altera ripa fuit placido contermina ponto,
 Quam levis exiguō verberat unda vadō.
 Flandria discussis iterans solamina curis,
 Præbuit in vitro colla videnda mari.
 Senserat ignoti virgo nova semina morbi,
 Dum rudis ad Paphiæ prælia virgo fuit.
 Sive Venus fuerit, quod erat, trahit infacia flamas,
 Sive suus, poterat nolle, coëgit amor.
 Urimur! exclamat, simul in contraria vertens
 Lumina, Mundillam cernit, & inquit: amo.
 Frontis ebur miratur amans, conjungere pectus
 Optat, & in socias corda venire faces.
 Irrita non venient, quæ sentio, tela cupido,
 Est mihi, cur urar Flandrica virgo, refert.
 Vel nece jungamur, non est operosa perire
 Res, ubi mors pretium quæ redamatur, habet.
 In video (liceat fint irrita vota) Leander,
 Copia cùi Dominæ per mare facta suæ.
 Vix modicis distamus aquis, vix littora parvo
 Limite, quæ prohibet, perlevis unda secat.
 Quid dubitas Neptune pari freta jungere nexu,
 Non bene divisò, fax micat ista, rogô.
 Imperium subeant fluvii, jus creditur istud,
 Nil tibi, quò dirimas pectora, juris inest.
 Me freta, me venti; ventisque ferocior unda
 Odit, & optatam claudit iniqua viam.
 Oderit! est livoris opus; dabis impia pœnas,
 Cùm tua (præsigit) pondere terga premant.
 Mersa mihi pretium siam, quia jungar amato,
 Me posito capies limite regna minor.
 Est breve, quod petimus spatum, breve pone furor;
 Sit satis in liquida me nece velle mori.
 Parcere vult lachrymis, & demere fraena loquelis,
 Sed brevis ad lachrymas, ad sua verba mora est.

Officium sanguis posuit, simulavit arenam,

Quæ superis poterant bella movere, genas.

Cæsaries moritur, muscum subitura marinum,

Littus habent oculi, frons quoque littus habent.

Cassis honor capitum, durò concrevit acervum,

Pallida compactus tempora murus obit.

Tum caput in turrim; qui texerat unio crines, (*)

Mortua jam factus clauerat ora lapis.

Flandria dimissæ nomen sic virginis implet,

Terraque de ratibus certa tributa capit.

Obstupuit Mundilla, pavor sibi verba negavit,

Dum videt hanc terram, quæ modò virgo fuit.

Ora timore ligat, tacitoque recanduit imbre,

Ne sibi mutatos exprobret illa sinus.

Tangit humum pedibus, poterat crudelis haberet,

Cum pede dilectæ corpora dura premuit.

Sæpe preces iterat superumque requirit amorem,

Quæ redeat formæ perdita Nympha suæ.

Sic curis moritur (quantum dolor ausit amati)

Quod cupit, ipse parem querit inire necem.

Brachia fert terræ, teneris magis apta lacertis,

Quos malè furtivo cortice clausit humus.

Plangit inops animi, vel quas modò calcat arenas

Dicere vult flammæ littora posse suæ.

§. X.

*Triton visam Flandriæ Juvenis amore metamorphosim Oceano refert; Thetides Italia, Afra, Hispana, & Sicula (*2) de potentia*

& forma litigantes auditis ex Tritone Mundillæ laudibus

bunc in Iudicem eligunt, itaq; ineunt.

*L*assus in aduersa Triton recubaverat unda,

Fræna dabat rapidis, quæ dare debet, aquis.

Au-

(*) Uyfinorām scutū Gentilitiū turrim habet (*2) Has q. Thetides accipimus, cū Mundilla in mari mediterraneo, quod bīs q. terras altius victorias restulisse plurimas eredatuer.

Audierat, quos læsa Deo det Flandria quæstus,
Quæque velit, votô, si caritura, pati.
Attonitus versæ vedit miracula Nymphæ,
Quodque latet clausum littore corpus humi.
Omnia fert animis, memori tenet omnia vultu,
Singula, quæ didicit lumine, mente notat.
Mulgit aquas cornu, cava buccina sumitur illi,
Astra, fretum, vel quod concipit ore, canit.
Accingit frontem calamô, fluit alga lacertis,
Vir caput, at reliquo corpore piscis erat.
Sic celer (hunc famuli titulus jubet esse volucrem)
Quem colit, Oceani tendit ad usque domum.
Fama per undos, velut est levis, acta penates,
Tritonis tereti viva cucurrit ope.
Ut simul æquorei tetigit vaga tecta parentis,
Deponit madidæ cærula fræna seræ.
Tempora ter quatiens, ne quid sibi moris abesset,
Accinit, alterno murmure, visa patri.
Imperiò moreris (fatur, dans pondera dictis
Fletibus) & parvas, mergeris, adde moras.
Pontum terra premit, fiet de flumine portus,
Vix trahet exiguum, quô fluat, unda, pedem.
Flandria Nympha fuit, tibi Flandria regna diremit,
Terrea dum mediis brachia tendit aquis.
Forma deam dixit, quamvis dixisse negabo,
Quæ tibi, nî cupias parcere, bella movet.
Fors juvenem (fugiunt me nomina) littus habebat,
Traxit ab hoc animi littore virgo facem.
Sive Deum est soboles (reor esse) vel axe creatus,
Debuerat meritò virginis igne peti.
Dignus amore puer, quia te quoque dignus amante,
Par me, si pueri sim memor, ignis amet.
Tum versos recitat, raptosque à virgine vultus,
Quantaque pars domino, sit modò raptæ, maris.
Plura paraturum furiis pater occupat, udo
Verbere per madidas itque reditque genas.

Oceanus tunc fortè suæ pia festa maritæ
 Egerat, & lætis repserat unda jocis.
Afra Thetis Siculæ, Siculæ consedit Ibera,
 Itala fit mediò dignior una loco.
Lis Divas tenuit (fecere monilia litem)
 Quælibet in semet judice dives erat.
Sæpe pater voluit, sed quis muliebria vincet
 Jurgia! compositis litibus esse modum,
Jura vel hospitii, vel se meminisse jubebat,
 Attamen in multo fervuit ira foro.
Jam mihi Dardaniæ lis æmula visa ruinæ est,
 Scilicet, aut nulla est, vel gravis ira diis.
Arbiter alter erit, retulit Thetis Itala, litem
 Solvet, cui tantæ gratia frontis ineſt.
Quælibet ista probat, surgit mens omnibus una,
 Séque viæ, quævis vincere certa, parat.
Pandit iter Triton multo furit æquor ab æstu;
 Quæque Deas tulerat, compulit ira fretum.

§. XI.

Mundilla victoriam Italiae Thetidi attribuit; accipitur in sponsum ab illa; sed mari vectus commotô à tribus reliquis Deabus Oceano mergitur. Sardinia, Sicilia, Corsica viso Mundillæ interitu se in mare præcipitantes in insulas vertuntur.

Vide Synops. Num. 2, & 3.

UT via finita est, & opus requievit eundi,
 Italia spumosis fræna recepit equis.
Prima faces, cui forma prior, sub pectore sensit,
 Primaque vix visas cœpit amare genas.
Itala tum fatur: Juvenis formose, timori
 Parce, venit flammis victima digna tuis.

Arbi-

Arbiter inquit eris, refeca te Judice litem,
 Judice quæ temet res cadet, æqua cadet.
 Divitiæ jussere Deas concurrere bellò,
 Quælibet est thalamos prona subire tuos.
 Arbiter es, pretium, si quod tamen expetis, addet
 Qui vultu, liceat sit meus, ardet amor.
 Conticuit: viridémque Deæ sedere sub algam,
 Aut mitis facilem præbuit herba thorum.
 Occulit Afra caput, poterat mansisse sub undis,
 Vel magis atratas illa polire genas.
 Spes aluit Siculam, quamvis minor artubus esset,
 Unde prior reliquas digna sicut ante Deas.
 Europæ caput esse suæ celebrabat Iberam,
 Afra negat junctis fluctibus esse caput.
 Ausoniam reticebat amor: sed forma locuta est,
 Sæpe silens valuit forma diserta loqui.
 Ille recusabat, sed erat jam saucius igni,
 Si taceat, verbis fræna resolvet amor.
 Tum fatus veniæque locum, scelerisque petivit.
 Si fors spe cuperet dicere pauca minus:
 Parcite vincendi cura est simul omnibus una,
 Unâque divinas ambiat alga comas.
 Sed tamen ista meos, quid enim siluisse juvabit,
 Occupat, (& meruit) Nympha Latina sinus.
 Sunt tibi vultus opes, bene quas servemus amantes
 Ausonis, & nimiæ sunt tibi vultus opes.
 Gemma mihi facies, sunt lumina bina pyropus,
 Has bene qui servat, servet avarus opes.
 Divitias, quæis prima vales, tibi forma paravit,
 His opibus mihi fis dignior una tribus.
 Dum loquitur rapuere fugam, furor addidit alas,
 Per freta, quæ movit ventus, & ira, Deæ.
 Egit vela furor, spretæque injuria formæ,
 In mare præcipites mergere jussit equos.
 Ultrices orant furias; statuere ruinæ,
 Quam trahat emotis fluctibus ille, modum.

Itala sed viētrix renovans pia vota labellis,
 In socios vocat, si volet ille, thoros.
 Annuit is; paribus saturant præcordia flammis,
 Atque citi ventis cœrula regna legunt.
 Jam medium decepsit iter, jam concha peregit
 Æquoream, filo marmore, pulsâ viam.
 Ausonium tetigere solum, tetigere carinas,
 Tendit ubi longas terra Latina manus.
 Cùm subitò Boreas, sed erat magis ira Dearum,
 Veliferæ tentat rumpere claustra domus.
 Sunt yada mota loco summos imitantia montes,
 Sic, velut è laribus tartara jacta puties.
 Unda graves animata vomens per cœrula fluctus,
 Destinat immeritæ, carbasa Diva, neci.
 Donec ab æquoreo major se fluctus averno
 Arrigit, & pleno corripit ore ratim.
 Haurit aquas Mundilla: suæ modò brachia sponsæ
 Orat, at impediit grandior unda preces.
 Ter cœli propiora petit; ter mergitur imis.
 Ter pèriit, dignus vivere, mersus aquis.
 Collis erat, quem sæpe suo Thetis Itala fluctu
 Verberat, & liquidas fessa retorquet opes.
 Contigerant ternæ montana cacumina natæ,
 Quæs modò conspectis, dixeris: una fuit.
 Sardiniae Sicelis, Siceli se Corsica jungit,
 Est eadem vultus gratia, pondus idem, (*)
 Spectabant, quem longa sibi jam flamma petebat,
 Iratas Juvenem morte luisse, Deas.
 Has furor incautas, qui nunc quoque vivit in illis,
 Jusserat indomito mergere membra mari.
 Insiluere vadis, tremefacta recanduit unda,
 Combinerant liquidas ore fremente neces.

Cu

(*) Addimur tres insulas Siciliam, Sardiniam, & Corfuciam, quia Ursini Duces, & ipse Mundilla armis illas occupasse creditur.

Cura Deos tetigit : complexa est terra natantes.
 Et fugiens humeris spiritus addit onus.
 Insula sit Sicelis , sed adhuc furor intima servat ,
 Cum volat Ætnæ flamma recosta rogô.
 Corsica dum cecidit corpus diffregerat , inde
 Occupat , in modico corpore , regna minor.
 Tertia juncta tamen retinet vicina sororem ,
 Hæc mediò nata est inter utramque locô.

§. XII.

Thetis Itala Mundillam mersum honore affici rogarat à Neptuno ; qui illum per Nereides tumulo pone littus impositum in arboarem semper virentem vertit , () cuius folia singula Mundillæ faciem referrent, promittitque arborem hanc magno stemmati originem daturam.*

Tota madet , maduisse potest Dea Cærula ; quando
 Vix satîs in lachrymas , quâ gemat , urna fuit .
 Nunq odiisse volet , quos nollet amâsse jugales ,
 Questa , sibi Paphia perfida tela Deæ .
 Æquora bis gemitu cumulat , bis fletibus undas ,
 Et nova de fletu , non sua regna , facit .
 Sæpe mori gaudet , sed jure vetante Deorum ,
 Æquora , quod doluit , non nocitura petit .
 Tentat mersa necem , mersam reverentius æquor
 Excipit , & liquidas expedit unda manus .
 Omnia tentârat , prohibent tentata perire ,
 Se modò nec Thetidem , nec volet esse Deam .

C 5

Lene

(*) Intelligimus per arborem , quod in Italia prima vice Ursini domum suam fundaverint .

Lene nimis Dominæ, quod classibus iret iniquum
 Devovet, unde mori disceret ire fretum.
 Consilium mora suscepit : dat carbasa votis,
 Sic trifido, miseris proxima, fata Patri :
 Si qua mei, mea summa tui est, fax tangit amantem,
 De merso, pretium fac leve, mæsta legam.
 Non latuit vulnus sub pectori Numen aquarum,
 Et quas, suppressit fletibus illa, preces.
 Sub scribam (retulit) votis, flevisse decorum est,
 Dum lachrymas, digno fænore, prodit amor.
 Perdita reddet honor ; felix Mundilla, quod optas,
 Æternò referet stemmata magna loco.
 Floreat, & multi carpant sua poma Nepotes,
 Promat ab augusto stipite ramus opes.
 Necte fidem dictis ; didici pius esse querenti,
 Debuit Ursinam condere morte domum.
 Nereides posthæc animat, revocare profundō
 Corpus, & in tuta condere mandat humo.
 Nec tumulus desit ; studium minus esse vetabat,
 Quām sibi, quam Domino svererat esse maris.
 Imperium subière Deæ ; se vincere pugnant,
 In mare, ceu Zephyrō quælibet acta, volat.
 Corripiunt inventa manu, quæ viva volebant
 Pignora sub tædas posse vocare suas.
 Urna capit mersos, stirpem meritura, lacertos,
 Fungitur officiō pervigil igne focus.
 Paæta fides mihi constat, ait Neptunus, & uno
 Funere, quem nōrint sæcula, vivet honor;
 His dictis, tenues se sustulit arbore in auras,
 Et tumuli spatum gratia frondis obit.
 Fit coma cæsaries, serpit per pectora cortex,
 Pigra tenent, firmo pondere, crura solum.
 Ora cacumen amat, mansit sua forma virori,
 Dum vultus, foliis omnibus, unus inest,
 Dissimulat Mundilla virum, jam creditur arbor
 Unde nepos, magni stemmatis, arima legat.

X. IV.

Umbria littori assidens, ut Mundillam tumulari conspexit, in mortui amorem exarsit; cumque eō in arborem versō potiri non posset, ramō inde decerptō revertitur. Mars tum fortè Italiam populatus ignotam obtruncat; quam ille pénitens facti in Ducatum Umbriæ, Caput in Spoleto metropolim, ejusque sanguinem in fluvium Neram, ramum verò in columnam sibi sacram vertit.

Umbria littoream tum fortè tenebat arenam,
Aurea compositis solverat arma comis.
Colla nives imitata tulit pretiosa monili,
Plùs tamen à pretio colla decora suo.
Hæc facies Veneri (si non Venus illa fuisset)
Ut moveat tacito prælia marte, decet.
Lumine contigerat, sed quæ magis illa petebat,
Condere sub tumuli nomine, labra sinu.
Carpit iter pedibus, Zephyros victura volatu,
Invenit celerem flamma parata viam.
Est meus (exclamat) reddant mihi Numinia munus,
Addecet ista meas arboris umbra faces.
Dum tamen in tremulos disjungit brachia ramos,
Arboreo, sentit corpora clausa, lare.
Jungar, (ait) si forsan habent nunc æquora Numinæ,
Unaque, de gemino pediore, flora regat.
Sed superi renuere preces, nam forma remansit
Pristina; & in veteri corpore vultus erat.
Sæpe probat, foliis quos vellet hebescere crines
Reddiderant primas sæpe probata comas.,

Officium num vocis adhuc sua lingua subiret
 Tentat, at officio visa favere suo.
 Damnat acerba necem, tardæque pericula vitæ
 Invocat, & formæ tædia longa trahit.
 Sed cassum superos, cassum pia sydera pulsat,
 Respuerant querulas, sydera surda preces.
 Ergo animis majora parans, dat vulnera ramis,
 Et medias, fiso cortice, fulcat opes.
 Brachia, quæ quondam vir adhuc Mundilla tetendit,
 Illa suō, titulō pignoris, ungve secat.
 Contremuit, vitæque sibi superesse quid arbor
 Dixit, & incautas stringere visa manus.
 Quem pia non potuit, voluit efudelis amare
 Umbria, si scelus est, quod bene suadet amor.
 Sæpe oculos, quæ corda nequit, spoliata trahebat
 Arbor, & in lachrymas lumina nota vocat.
 Pignora nunc manibus, detraictaque dona revolvit,
 Nunc maduit nimbis, lætior ipsa, suis.
 Fons erat, ut rapidis Mars ureret omnia flammis,
 Vel nova deserto quæreret antra lare.
 Jus fuit in ferro : bellum tuba rauca canebat,
 Quâ furor indomitis subderet arma viris.
 Umbria tum patrias, si quas tamen illa tenebat,
 Ignoto petuit numine vecta, domos.
 Jam medium devicit iter, cùm lassa sub umbras
 Se jacit, & raptas arbore visit opes.
 Hic cupiit Mundilla foret sibi nobilis arbor,
 Quæ valeat teneris membra levare jocis.
 Umbria sic primas renovabat in arbore flamas,
 Et quod amet, miseræ quælibet arbor erat.
 Cùm Mars sanguineò volitans per inania ferrè,
 Induerat rigidas acrior ore faces.
 Fit propior, putrémque quatit levis ungula campum,
 Impetit innocuam, Mars citus ense, Deam.
 Illa fugam meditata, pedi verrebat arenam,
 Vix bene, quod teneat territa, movit iter.

Incipit exanimis , quantum timor ille sinebat ,
 Pangere non fidis perdita vota diis .
 Mars pater incauto (tenuit lex nulla furentem)
 Demetit , actus equo certior , ense caput .
 Umbria cæsa fugam , vitæque levamina solvens ,
 Imbuerat , roseo sanguinis imbre , solum .
 Dum caput in teneras de corpore profilit herbas ,
 Evicit rapidum forma decora ducem .
 Gratia , quæ niveas nativo murice malas
 Duceret , & divis æmula labra rosis ;
 Utque suos , quos cæsa licet non perdidit ignes ,
 In duras jaciant lumina bina , manus
 Conspicit ; ipse sui damnat monumenta furoris ,
 Quod deceat , quod non , vix videt ira , scelus .
 Cum furor in cursu est , nihil est audentius illò ,
 Mens ubi suda redit , facta patrâsse pudet .
 In fletus oculos (sed quod mirere) resolvit ,
 Si jubeat , rigidus Mars quoque flebit , amor .
 Ast ubi decerpitæ subière putamina frondis ,
 Et quæ sub foliis forma locuta virum est :
 Hæc (fatur) memini , visa est mihi Martis imago ,
 Cum puer in timidas carperet arma feras .
 Paræ animis dilecta (caput sine pondere tollit)
 Reddo , locum veniæ fac tamen ipsa , vicem .
 O utinam , post fata licet dem (pulchra) querelas ,
 Ulla forent manibus tela petita meis .
 Vivere si possis , posito sim Marte , quod optas ,
 Si vivas , famuli nomine primus ero .
 Sed reddam monumenta mei post fata favoris ,
 Cæsaque , pro tanto vulnere , dona feres ;
 Mox corpus spatiō longas comitatur arenas ,
 Multaque de modico pectore , terra patet .
 Gramen habet varios varia de veste colores ,
 Flora dabat meritæ munere picta togæ .
 Brachia sunt sylvæ , referebant ubera montes ,
 Cætera versæ manent arbor , & herba Deæ .

Ast caput appositō tumulabat tempora murō,
 Mænia, compacto carcere, labra petunt.
Frōns arcis fingebat opus, de naribus ædes,
 Omnia magnificæ, quā patet, urbis amat.
Umbria fit tellus, cervix migravit in arcem,
 Primāque versa sui nomina virgo refert. (*)
Spoletum dominam regio sibi finixerat urbem,
 Et caput est populi, quod caput antè fuit.
Ipse crux posito nautis fluit unda colore,
 Sustinet, in famulo tergore, plana rates.
Nera trahit titulum, medio qui flumine regnum
 Dividit, & vario tramite dicit aquas. (**)
Ultima, sub foliis pulchros imitantia vultus,
 Quæ frons, de cælo stipite, rapta dabat,
 Pignora restabant, properéque assurgere moles
 Saxeæ, de vero marmore, visa fuit.
Addiderat moli pretium, quæ Daphnis in auro
 Vixit, & artificem dicere visa Jovem.
Bella, Duces, quantumque foret stirps nobilis orbi,
 Cui patuit terris Umbria tota suis,
In seriem redière suam. Fundamina Mayors
 Condidit æternō, non ruitura, locō. (***)

§. XIV.

*Neapolis Umbriæ interitu, Martisque sa-
 vitie admonita Deos consulens pro Duce, qui
 interitum suum prohiberet, jubetur tumu-
 lo & arbori monstratæ, unde Ducem speraret, sacri-
 ficare* (****)

Interea tacitos vertebant tempora soles,
 Tempora, quæ rabiem non posuere suam. Ve-

(*) *Est Umbria, seu Ducatus Spoletanus in ditione Pon-*
tificia, cuius caput Spoletum, arce, & opibus clarum. Natus
est hunc Ducatum Mundilla: ubi primus Ursino fundavit,
quorum ibi adhuc aliqua monumenta extare per (**) *Columnam*
indicamus. (***) *Nera est fluvis Umbriæ* (****) *Cajus Flavius, Ur-*
sus, Ursinos in Neapolitanū Regnū servente undiq; bello induxit.

Veliferæ tumidis errabant fluctibus arces,
 Et Triton cecinit bella paranda mari.
 Res nova pacis erat meminisse; nec otia nomen
 Tum poterant, pulsum fulmine, nosse suum.
 Ipsa gemens querulas regina Neapolis urbes,
 Visa fuit, populi vulnere, velle mori.
 Regna minor numerat, si quæ tum regna fuere,
 Jura dabat populis, sed sinè lege, furor.
 Sæpe Deos, memini, placidos meritura rogabat
 Cur foret, at meritis grandior, ira Diis,
 Exilium petiit, quod erat petiisse levamen,
 Orsaque sic timidæ solvere vocis iter:
 Pone modum res digna Jove est, posuisse, furori,
 Me minor, adde moras, vel magè funus ero.
 Pars fueram dominæ posito cui Numine Taurus,
 Dicebas: lachrymis desine rapta Jovi es.
 Brachia dilectæ, quæ nunc quoque tendo, probaras,
 Dic mihi, tu lachrymis desine, cura Jovi es.
 Styx quoque, ne miseræ lachrymis pars ultima desit,
 Ut peream (pereo si cupis) arma movet.
 Sacra tibi (moveare tamen) fuit Itala tellus,
 Non bene, quod sacrum, quæ Jove digna, cadunt.
 Multa tuli, cur plura feram, quæ plurima dudum
 Sustinui, nullo tela vetante Deo.
 Aut ego, ne moriar toties, semel arma capebam,
 Inque meum, rabie lætior, ibo latus;
 Aut caput (inde pii titulum tibi sumito) fulmen
 Ambiat, & trifida membra resolve manu.
 Ultima si restant, mihi semina deme querelis,
 Quæ precor è misericordia victor habes?
 Annuerat, non semper amat sua fulmina numen,
 Et Jovis hæc, tonitru teste probarat amor.
 Nata diem revoca, discrimina corrige voti,
 Inquit, fausta, licet fletibus usq; leges.
 Liba dabis tumulo, messémque appone Sabæam,
 Quæ maris Ausonium verberat ira solum?

Et vitam tumulus , (nec enim sīnē Numine novi)
 Et reddent dominum perdita thura Duce m .
 Ara patet Marti , sed habet quoque Jupiter aras ,
 Par mihi , quæ Marti victima cæsa , cadet .
 Quod pateris (patiare tamen) pia fata mereri
 Debuit , & tutō condere regna locū .
 Arbor ubi geminīs fert læta cacumina ramīs ,
 Illa tui gemitūs digna trophæa feret .
 Spondeo de tumulo vitam , de funere Regem ,
 Qui novus Ursinos det tibi semper avos .

§. XV.

Neapolis jussa exequitur ; Cajus , Flavius , Ursus , ex tumulo oritur , qui immissum à Neptuno ob violatam ab Umbria Mundillæ arborem monstrum debellat , Gravinámque jussu vatuum Draconi marino in scopulis expositam mercedis locò in sponsam accipit . () Vide Synop . N . 3 .*

JUSSA facit Superūm , dat dona Neapolis igni ,
 Vincere certa stygem , vincere certa Deos .
Liba rogos ornant , cadit hostia victa bipenni ,
 Plebs stupet , & multo consonat aura viro .
Illa preces iterat , precibus simul addidit imbres ,
 Se quibus inflecti Numinis ira sinat .
Ecce repente Ducem vivis revirescere flammīs ,
 Et videt , & visō plebs salit acta Deō .
Flamma dedit Cajum , veterique è funere vitam ,
 Reddit odoratō flammea scena rogō
Aemula fit Marti facies , frons æmula Divis ,
 Visa , vel hostiles vincere docta manus .

Est

(*) Est Gravina Ducatus in Regni Neapolitani Provincia , terra Bariana dicta .

Est Umbo manibus qui jam miracula centum,
 Attulit, & centum fit sacer ille viris. (*)
 Æra ligant pectus, summo stat vertice cassis,
 Mars prope, sed deerant nomina, visus humi est.
 Aëra clamor habet, mutas stupor arrigit undas,
 Sentiet hæc hostem, quem stupet unda, suum.
 Ira vetus Thetides, madidumque hortata Parentem,
 Jusserat ultrices per mare ferre manus.
 Monstrum saxa vomunt, torto pars angue rigescit,
 Ima canem referunt, cætera piscis obit.
 Reddiderat (vates monuere) Gravina pericli
 Pignus, & infaustæ est præda parata feræ.
 Digna thorô Superum Virgo, non digna catenis,
 Nî quibus assvevit nectere corda Venus.
 Sæpe preces vultu memorat, qui fulmina retro
 Vertat, & iratas sub juga mittat aquas.
 Igne satus vidit, visæque cupiverat ignes,
 Fit sibi, quô caleat Virgo ligata, rôgus.
 Tum sic orsus ait: faciam rudimenta futuri,
 Quanta, sub angusto pectore, clausa latent.
 Sit mea, conticuit; nec enim mora plura sinebat,
 Cùm fera tartareo perfecat ungue fretum.
 Accipiunt leges, & tantæ pignus arenæ,
 Sancit ex omni plebe vocata fides.
 Flavius arreptô tum vulnerat aëra ferrô,
 Addidit arma suus, quô fuit ille, rigor.
 Plumosum sistit capiti modò cassidis æquor,
 Nunc dominum torvo cinxerat ære latus.
 Vix suus, at superum, quorum de munere vixit,
 Credidit iratis nobile corpus aquis.
 Terga premit ponti, nec quo mare pondere fluctus,
 Dividat, aut cupiat cedere, cura fuit.
 Vis erat, ut nullas gradiens mergatur in undas,
 Sed premeret, certo pondere, viator aquas.

D

Ur-

(*) Centum præclaros Belliduces ex Ursinis designamus. Vide Synop. Num. 4.

Urget amor prædæ, sed amor magè Virginis urget,
Utraque spes decuit, sed tamen ista magis.
Jam prope crudeles monstrum patefecit hiatus,
Et, moto veluti fulmine, murmur agit.
In scopulum (focus ille fuit, quod Cagus amaret)
Quâ licuit propera se fera librat ope.
Flavius arma manu tentat, discussaque nervis,
Addidit extremo, non sine cæde, loco.
Astra pavent fremitu, roseis vomit ilia serpens
Fluctibus, & revocant tergora læsa cutem.
Colligit in spiram, mediæ curvamina caudæ;
Dum viso timidas sanguine tingit aquas.
Vulgus in attonitas animabat littora voces,
Non tulerant legem verba, nec ordo locum.
Pars metuit vieti titulum; victoris habebit
Pars ait, hinc dubios sors facit esse viros.
Donec in adversas torquens hastilia fauces
Flavius, indomitæ sedit in ore feræ.
In scopulum cervix, quod se sua corda ferebant
Concidit, & totô robore saxa quatit.
Ultima, quâ licuit, petiit moritura Gravinam
Ira, sed abscedens vita negavit opem.
In lucris numerat monstrum, lucrisque Gravinam
Addidit, & gemino munere dives ovat.
Utraque digna peti, sed erat magè dignior illa,
Quam Venus, ut vincat, jusserat esse feram.
In saxum jam pectus abit, saxoque solutam
Sub cor, captivæ more, venire jubet.
Gloria bina fuit prædam, sponsamque mereri,
Hæc pugnæ causam præbuit, illa locum.

Pro-

Ne mirere nos Cajo Flavio Urso statim attribuisse Du-
catum Gravinæ, quem modò Ursini Clientelari nomine pos-
sident; cum antequam moderni Ursini hujus titulum Du-
catus receperint, in Neapolitano regno Majores jam illo-
rum aliquid ex illo Ducatu sub alio nomine habuisse
credantur.

Protinus aëreos repetit plebs læta penates
 Vocibus, & scissa daphnide ferta parat.
 Ille Patris titulos, meritos vovet alter honores,
 Quisque freti, magno murmure, castra secat.
 Sic generum, linquit, sortita Neapolis æquor,
 Lætaque dat timidis dona Sabæa focis.
 Vincula quæ posuit, sensit nova vincula virgo,
 Dum petiit sponsi pectora casta sui.
 Quam fera non valuit, vicit tamen arte cupido;
 Hoc potuit digno Marte Gravina peti.
 Junxit hymen geminos, & fædere jussit eodem
 Jungere (digna diis vincula) corde faces.
 Sic bene pugnârant binæ miracula formæ,
 Hic memorat Paridem, Tyndaris illa fuit.
 Præclusit, stirps quanta foret, gens quanta futura est;
 Quæ nova de Cajo semina nata trahit.

§. XVI.

Perseus auditis ex Fama Caji Flavii laudibus indignatus, vindictam sumere cogitat.

Invitantur ad Nuptias Flavii Cognata Ursinis Regna.

Rumor, ut est nulla constrictus lege silendi,
 Solverat acceptam garrulus ore tubam.
Ara canunt pugnas, junctosque viruginis ignes,
 Et nova Cepheæ prælia magna nurus.
Est sacer inquit Hymen: mandataque nota resolvens,
 Convocat adscriptas in sacra festa Deas,
Se modò Sarmaticæ, modò se sistebat Iberæ,
 Ære jubens lautas raucus adire dapes.
Perseus, ut tantæ sonuit cava buccina famæ,
 Gorgoneas animat, lividus angue, comas.
Quæis caput infremuit, condit sub corde colubros,
 Accipit herous tartara viva sinus.
An mihi (sic fatus) memores Cephœia lauros
 Tolleret, & à pretio fama repulsa suo est?

Sunt quoque, quas metuas, animis cælestibus iras,

Has male qui spernit, spreverit ille minas.

Fabula sim vatum, non sum tibi Fabula, Cai,

Error habet vates, vatibus ista licent.

Arma pari numero (liceat dubitare) tulisti,

Si tuleras, non tu, sed tuus ursit amor.

Ipse Jovis merui (quanta hinc mihi copia belli)

Aurifero (fastos consule) stare sinu.

Te cinis, & spreti fecere putamina ligni,

Scilicet ista suum laudet origo ducem?

Vix subiisse sat est primæ præconia famæ,

Me bis, victoris nomine, fama canat.

Gorgonis arma dabit, revocent sua tela furores,

Bellua, si tamen hoc, bellua Cajus erit.

Est animus Cai, qui vix tibi suppetit, unda

Debuerat sceleri mitior esse minùs.

Sponsa dabit thalamos, dederit tibi Persus ensem,

Tæda decet Venerem, Persea tela decent.

Ibis in amplexus, quos tu tetigisse dolebis,

Aptior est thalamis victa Gravina meis.

Improbœ, (sed vellem titulum meruisse scelesti)

Cede, patet bellis area magna tuis.

Aut tua (dent superi) rodam male viscera ferrō,

Aut stringet, duro cortice, membra silex.

Astra tremant, minùs est: trifidō nî sydera telō

Te feriant, tanto est crimine pæna minor

Sic fatus, tremulos concussit Gorgonis angues,

Sydereāmque super collocat arma domum.

§. XVII.

Conveniunt Gallia, Italia, Hispania, Hungaria, Dania, Svecia, Austria ad Convivium Nuptiale Gravinæ, & Cajì Flavii.

*F*estus Hymen aderat, votisque petita Gravinæ
Apparat in tædæ fædera sacra, dies.

Dissita Sarmaticæ , quas Fama fugacibus alîs
 Vexerat , è reliquis fit comes Hunna Deæ.
 Gallia quanta fuit , sed erat tum maxima , divis
 Candidior , niveas picta ferebat opes.
 Saxonis augustô septeni Jaspidis aurô
 Cinxit (at omen erat) tristor ore , comas.
 Austria tum roseis nondum perarata lituris ,
 Has , quino subiit vecta volucrē , dapes.
 Dana soror Svecam patrio portata leoni
 Attulit , ut festi pars foret illa chori.
 Ultima (nam gravitas vetuit) fuit Itala tellus ,
 Quam juncto cinxit sanguine multa nurus ,
 Quælibet in numerum meruit venisse Dearum ,
 Nomina , formosas quælibet inter , habet.
 Jus tamen hinc livor , quod vix bene credere possis ,
 Ingemuit , quamvis nollet , abesse suum.
 Unus amor formæ , quam si celebrare pararem ,
 Aut Venus , aut specios numinis ipse forem .
 Ut simul in graciles solverunt labra loquelas ,
 (Singula sed poteras dicere verba rosas)
 Pars Cajo propior , pars officiosa Gravinæ ,
 Laudibus , admisto pondere , solvit epos.
 Materiem jam monstra dabant , tragicæque catenæ ,
 Quas leve , pro thalami spe , retulisse fuit .
 Pro lachrymis subeunt verso nova gaudia passu ,
 Armâque pro victo senserat angue Venus .
 Ipsa parens timido moritura Neapolis imbri ,
 Colligit augustas lætior ungue comas .
 Vota parant sponsis , sobolis spem vota caneabant ,
 Quod socias , teneat mollior aura , faces .
 Luna suum posset mirari in Virgine vultum ,
 Inque vicem speculi plena videre genas .
 Si mutet Cytherea virum , gelidóque relicto
 Marte , velit tædis urere corda novis ,
 In Cajum referet studium , quem Diva recuset
 Nulla , sed in thalamis optet habere suis .

Itala tum saceri castis amplexibus hærens,
 Ista, verecundo sed tamen ore, dedit.
 Jungite jam geminas (risit) par nobile tædas
 O utinam sponsæ pars ego parva forem!
 In seros (fiet memini) succresce nepotes,
 Ille Deos videat, gignat at illa Deas.
 Hac de stirpe petant regalia sceptra maritam,
 Regia vel natis vincula neqtat amor.
 Cæsareis hoc lecta mari se gemma coronis,
 Aptet, & è folio nomina magna trahat.
 Bella duces videant, decernat Roma triumphos,
 Hinc sibi progenitos sentiat orbis avos.
 Dixerat, & tantis arsit Dea singula votis,
 Quælibet in pariles solverat ora modos.

§. XVIII.

Jupiter, Juno, Pallas, Venus in Convivium veniunt, Cajo Flavio Gravinae, ceterisque Regnis dona offerentes. Vide Synop. Num. 4. & 6.

Jam prope festus Hymen, mentis ornare jugales
 Incipit, & positas jussit adire dapes.
 Causus amat summum, lateri comes una Gravina est,
 Flamma micat juncto tutius ista rogô.
 Cætera jussit honor, quis nescio: turba Dearum
 Considet, & notum cinxerat ordo locum.
 Itala decocto celebrabat festa falernô,
 Quælibet officiis (sit satîs) apta fuit.
 Cum nubes rapuere diem: sol perdidit ignes,
 Visa sub ætnæo est carcere clausa domus.
 Corda timor tenuit, ne quod scelus esset amori,
 Aut veheret verso tramite Phœbus equos.
 En micuit (novitate stupent) domus amplior aurô,
 Dat laribus, semet pulchrior, aura diem.

Nubila se toto circumfudere cubili,
 Nubila, quæ tacitos clausa datura Deos.
 Utque dapes sensim pulchrō cinxere theatrō,
 Fassa, dabant patulo, numina tecta, sinu.
 Jupiter, (ast orbus fulmen) divina repandit
 Sceptra, tenet socium Diva marita latus.
 Iverat exutis Pallas viduata sarissis,
 Sed tristis, vetuit, ne comes iret avis.
 Pulchra Venus patuit, tenerum vehit agmen amorum
 Sunt quibus effictis ebria labra rosis.
 Convivas (quis non metuat) tetigere timores,
 Territa, læsa velut fulmine mensa stupet.
 Res, ut erat, non visa domo, sic visa stuporem
 Intulit, & dubio pinxerat ora metu.
 Jupiter orsus erat: parcat formido medullis,
 Detersis revehant nubibus, astra diem.
 Herculeum mirabar opus, res digna Tonantis
 Laudibus, & poterat me Jove digna geri.
 Quam sociam nunc victor habes, dabit illa jugales,
 Illa meo meruit numine tuta peti.
 En cape (tum fasces Cajo, junctasque coronas
 Fascibus, unde legat regna futura dedit) (*)
 Ista tuæ (meruere viri, qui stemma sequentur)
 Et decus, & tantæ gloriæ stirpis erunt.
 Quidquid ego, sunt magna tamen mihi regna, guberno,
 Ursinam deceant hæc quoque regna domum.
 Bis septem, quæ tristis hyems sua frigora solvit,
 Et subit arctoas sole jubente nives,
 Sydera, cognatis totidem ventura favillis
 Spondeo, quæ dignis ignibus astra beent. (**)

(*) Intelligimus Romanos Consules, Senatores, Praefatos Sc. qui ex Ursinis prodiere. (**) Sunt omissis illos, qui ab Aniciis deducuntur ex solis Ursinis 14. Sancti, quos sub totidem stellis in Ursa majori & minori exprimitur.

Dum posuit finem dictis, sua Juno resolvit
 Ora, quibus dicas vivere mellis opes.
 Illa ego cui primæ sunt festa jugalia curæ,
 / Quæque novis propero vincula ferre thoris.
 Lucinæ voveo, sum pronuba, fidior ignes,
 Hæc erit in cunas promptior una tuas,
 Si qua nurus thalamos regnis adamata subibit,
 Cognatōque dabit sanguine pignus amor;
 Vivet, & in longos diffundet stemmata ramos.
 Stemmata, quæ properam non subitura necem.
 Tum Juno complexa manu duo ferta Gravinæ
 Adjiciens, rutilis jussit inesse comis (*)
 Excepit Cytherea Deam, multisque parata,
 Pauca, licet cuperet pluribus illa, refert.
 Munus amor poscit dum vos Venus una ligavit,
 Una dabit teneras dulcior ire faces.
 Sum Dea: sed vellem Cai tibi jungere flamas,
 Es mihi pro gelido dignior ipse viro.
 Accipe (cor promit) primas de conjugè tædas,
 O fierem dominæ pars ego parva tuæ!
 Dana quater reddet (quatuor simul illa coronas
 In Danæ placidos jussit abire sinus)
 Regna, quibus junctos domus hæc sibi sumet amores
 Et feret Ursinis regia dona viris, (*2)
 Sarmata (mucro manu patuit) Dea stemmata curet,
 Hæc tibi cognato pars erit una gradu. (*3)
 Ista tui vultum referet data Gemma tricollis
 Hunna, petet Sponsæ pignora Bela suæ. (*)
 Nec tibi desit amor, tu felix Austria nube,
 Accedet patriis hinc Venus una Viris. (*5)

Cre-

(*) Ob duplarem Regum cognitionem initam tum per
 viros, cum per fœminas ex Ursinis (*2) Ursinæ enim
 Principes 4. Daniæ Regibus erant despontatæ. (*3) Ob
 Agnetem Ursinam Primislao Polonie Regi. (*4) Ob
 Gunegundam Belæ IV. Hungariæ Regi. (*5) Ob Annam
 Austr. Hermanno. Sc. Vide Synop. Num. 6.

Crescite (fata sinent) longóque propaginis ævô
 Crescite, fœcundô par mihi dulce thorô.
 Iret in amplexum Câi, juro cupidinis arcus,
 (Hei mihi quanta farent gaudia) Diva Venus.
 Pallas, ubi dictis finem Cytherea canebat,
 Orsa fuit, sveto pondere, pauca loqui.
 Multa Duces, quēis jura damus, quēis impero Pallas,
 Arma sub Ursino Principe digna ferent.
 Prælia magnanimô moturi quando Gradivô,
 Aut dabit oppositas hostis in arma manus ;
 Ipsa dero bellis, Ursinâque prælia viætrix
 Si Dea, tot lauris sim satîs æqua, canam.
 Ægida porrexit : monitûque industria nubes,
 Sustulit ignoto, numina visa, gradu. (*)

§. XIX.

Perseus convivium turbat ; fugiunt Deæ Regnorum, solâ obßistente Perseo Saxoniâ, quæ in saxum versa, 7. lapidibus pro gemmis tollacem in corona (*2) manentibus. Gravina sponsa defendens Cajum lreditur, ex cuius sanguine multæ, præcipue (*3) 40. elegantiores rose nascuntur. Vide Synop. Num. 6.

Conticuêre omnes, miratâque labra negabant
 Vocibus, ista stupor fecerat, esse viam.
 Ut tamen excussa pavor hic se nube remisit,
 Et fudos petuit mens fugitiva lates :

D 5

Verba

(*) Ob tot Belliduces Ursinos. Vide Synop. Num. 6. (*2) Intellige septem Duces Saxoniae & (*3) 40. Cardinales ex Ursinis.

Verba volant mensis, sermo miscetur in unum,
 Quælibet in laudes Diva diserta redit.
 Ecce fragor laribus se tollit, nuntiat iras
 Perseus, & rapidô ruperat ense moras.
 Ter, quater ergo fores fremitu, sub nube coëgit;
 Pandere, divulsæ molesta, fræna feræ.
 Irruit, & mensas animô vitiante fatigat,
 Prælia, tela, fidem, tartara, bella, vocat.
 Pars ego syderei, Cajo sic fatus, Olympi,
 (Constitit, & nudas asperat ense manus)
 Si tantæ, mendax utinam, præconia laudis
 Fama (licet populo credere plura) canit,
 Aude aliquid ferrô: quæ monstra perire coëgit
 Dextera, sub dubiam conferat arma necem.
 Andromedam vicisse juvat; pars laudis adempta est,
 Dividet hæc timidum tristis arena forum.
 Diffugere Deæ, celeres timor addidit alas,
 Saxonis in noto perslitit una thoro.
 Dicere tum Cajus, quæ vix memoranda, parabat,
 Conscia, nudatis ensibus, aura micat.
 Arma sonant laribus, fulgur vaga tela loqvuntur,
 Vincere quisque sui nominis audet ope.
 Ille Jovis memorat, quamvis sinè pondere, nimbos,
 Iste, suus dederit numina quanta rogos.
 Jam prope converso scrutatus Perseus ictu
 Ilia, clamabat: vicimus, ille jacet.
 Sed contra modò, Cajus abit, tenet impiger hostem,
 Saevior audaci Persea Marte petit.
 Ultima sicut nostri, dixit, monumenta furoris
 Perseus, & dubiô desinat ira forô.
 Mox tacitus, quam saccus habet, se Gorgone munit,
 Et riget hostili forma parata manu.
 Saxonis, ut mulier vix est, quæ temperet iras,
 Prima loquax nimium Gorgonis ora subit.
 Hæsit in ancipiti vox non revocabilis ore,
 Saxaque, de vero nomine versa, trahit.

Diriguere genæ, nova corpus pondera sensit,
 Induit impatiens, mollia membra silex.
 Sed septem (quia mitra dabat septena sub auro
 Saxa) refert dominos saxeæ forma viros.
 Hanc periisse videns nimium sibi fida Gravina est
 Inque sui, poterat nolle, pericla volant.
 Jus vocat hospitii, divos testata Penates,
 Nî cedat, mulier garrula, tela parat.
 Arripit arma manu, torquénsque è viribus harpen
 Perseus, adversæ verberat ora Deæ.
 Vulnera pectus habent, taboque meante Gravinam
 Deserit, & superos pervolat usque lares.
 Hanc crux effusô pingit per corpora nimbô,
 Facta jubent Dominam vulnera sape mori.
 Cura Diis fuerat: rubeum dant pectora florem,
 Multaque commemorat perflua vena Roiam.
 Flos quater in decimos porrexit stamina vultus,
 Dum retulit totidem flora pudica viros.
 Quos ego si memorem, licet hos memorare juvare,
 Surgeret in nimium, quod leve carmen, opus.

§. XX.

Gravina () in ulnis Caji mortua in Ducatum sui nominis vertitur. Flavii Caji ensis in Laurum, cui plurimum futurorum ex Ursinis, sed præcipue 4. Principum Romanorum, seu, Pontificum & Sanctissimi Nostri BENEDICTI XIII. effigies inerat. Catus Flavius Ursus merore victus in diversas Provincias Conjugem suam Gravinam gemens discedit.*

Pla-

(*) Est Gravina Ducatus cum ejusdem nominis urbe in Regno Neapolitano, Materæ, & Cirenæ adjacens, ubi etiam Ursini dominabantur.

Plaga fuit sensim, capit incrementa nocendi,
 Grandius è vivo sanguine vulnus hiat.
 Vix dolor admisit: quò vulnera facta maritæ,
 Flavius optatæ sisteret artis ope.
Inde pares animô recipit de conjugè plagas,
 Vulnera vel renovat, vel facit omnis amor.
Illa tamen, si quas habuit, sub pectore voces
 Colligit, & Superos sic moritura vocat.
O utinam (sed parce, dolor jubet impie conjux,
 Nec scelus hæc, moriens quid loquar, esse puta)
O utinam rapidis fecissent numina monstros
 Jus in non meritum dentibus ire latus.
Tum decuit patriæ (patriæ fortuna fuisse)
 Morte mea timidæ consuluisse plagæ.
Ast ubi tela puer, nimium crudelia tela,
 Promperat, atque thorum jussit inire Venus,
Emoriens vati cruda Venus, truciörque Maritō,
 Spes ubi vel primæ perdita prolis abest.
Hoc deerat, quid læsa cadam: mentita fidelem,
 Jacta (res digna est numine) Juno manum.
Fulmina jurabas, nî fint ea ficta, Tonantis,
 Spémque dabas, si quæ spes fuit illa, throni.
Ipse Deum Rector (titulò sed noxius istò)
 Quæ male promisit sæcula longa, negat.
In nunc, & cupidos de morte resume favores,
 Et patris, ex natæ funere nomen ama.
Ultima, jam Cai peritur munera restant,
 Fac mea sub tumulo mollius ossa cubent,
Addet amor versum, sic me memorare juvabit,
 Quô ferar Ursinæ gloria prima domus.
Es aliiquid teneros sensisse cupidinis arcus,
 Et nova furtivæ prælia nosse Deæ.
At Dea, quô placuit telò, me læsit eodem,
 Ut bindò valeam, vulnere prompta mori.
Parva tuam, moritura loquor, tegat urna Gravinam,
 Sit tamen illa tuus, quâ tegar, urna sinus.

Cajus in amplexus, lachrymâs quia lingua locuta est,
 Irruit, & trepidas contigit imbre genas.
 Res nova! sub manibus de corpore terra patebat,
 Déque sua venit conjugé mollis humus.
 Urbs caput est, noménque suum de conjugé poscit,
 Urbi forma fuit, pulchra sed illa, vetus.
 Mænia cassis amat, vivit de vertice turris,
 Pro viridi vincit jaspide colla lapis.
 Accipiunt geminas pereuntia lumina portas,
 Cum geminis faciunt auribus ora fores.
 Dextera sit Barium (*) contingit læva Tarentum, (**)
 Utraque sub domino terra futura suo.
 Inde pedem Materæ, conjunxerat, inde Cirenæ,
 Proxima contiguîs utraque fixa plagiis.
 Quæque sub artifici latuerunt oppida filo
 Vestibus, aut famulâ promicuêre togâ;
 Altior ex humili prorepserat ordo penatum,
 Sic toga multiplices, fert nova facta, lares
 Nîl sibi mors rapuit, forma vivente Gravina est,
 Inde Duci titulos, inde ministrat opes.
 Diriguit Cajus, nec quod se vertat habebat,
 Mens ubi consiliô, defuit ipsa suô.
 Nunc fugit, rediensque super jacit oscula terræ,
 Ceu rapta à niveo mæsta columba virô.
 Nunc pede contremuit, ne tangeret ossa maritæ
 Impius, & feriat mortua membra gradu.
 Istud (ait) merui raptus de conjugé conjux,
 Ut Dominæ memores, pes premat iste, sinus.
 Sævus Hymen poteras nunquam suassisse jugales,
 I, temet victor prælia digna cane.

Cæsa

(*) Est Provincia in Regno Neapolitano in qua Gravina Ducatus est. (**) Alias Hydruntum, vel terra di Otranto, quæ Gravinam contingit. Hydruntum ejclis Saracenis, Ursinæ familie cessit, ut memorat Blaeus in Atlante.

Cæsa jacet, minus istud erit, sed crimine majus
 Est, ubi vel miseræ membra levare negas.
 Tolle faces Hymenæe, tuis cado victima telis,
 Me quoque post cladem conjugis ense pete.
 Exsatura, cognovit amans tua tela, furores,
 Jam poteris gemina pulchrior esse nece.
 Ergo vagus toto, lachrymâs comitantibûs, orbe;
 Dimidia solum parte relictus agar.
 Ultima submotæ tum tendit brachia terræ,
 Quam voluit castîs, tangere posse, genîs.
 Cùm ferrum, quô cinctus, erat vagina recusat,
 Et cedit in notam pendulus ensis humum.
 Se levis (en mirum dictu) sustollit in altum
 Laurus, amans foliis pulchra trophæa suîs.
 Ut capulum (pes námque fuit) nova terra momordit,
 Arbor ab enato surgit opaca loco.
 Est viror in ramis, coma porrigit alta cacumen,
 Summa, viri species, sed gravis illa, tenet.
 Ruga decora fuit, dederat frons Majestatem,
 Pallada, qui dignus Principe, vultus amat.
 Per erines triplici mitra se libraverat orbe,
 Aurea cui pretium littera scripta dedit.
 Post quatuor Dominos Ursinæ gentis, amabit,
 Hoc quoque, si veniant tempora, Roma Caput.

§. XXI.

*Roma futurum Principem suum intelligit ex
 URSINIS ab Historia Poëtica: dein clamore fe-
 stivo populi ob electum à Patribus VINCEN-
 TIUM MARIAM URSINUM excitata, verita-
 tem sibi ostensorum agnoscit, déque eo
 electo breviter gratulatur.*

DEsine jam lachrymas posito reviresce, dolore,
 Accipe, sub viso Principe, Roma caput.

Ursin

Ursinum memoro, cujus meminisse, Latinis,

Pars placidæ (faxint Numina) fortis erit.

Roma (favent Superi) pietas te Principis ambit,

Cujus eris tantum nomine, Roma minor.

Ausonias cumulabit opes, dabit ille triumphos,

Et revehet formæ tempora prima tuæ.

Colliget omne decus, si quod superesse videbit;

Quod non *Ursinos* antè decebat avos.

Temporis adde moras: disces de Principe, quantum

Quod te Roma regat, debeat esse Caput,

Non aberit pietas, sed erit ~~vel~~ maxima Regi,

Lætior ergo tuas indue Diva genas.

Quidquid habes, (sed habes^{*} quam plurima) majus ^{"tellus"}

Reddet, ut æternum gloria currat iter.

In video tibi Roma (nefas vix livor habebit,)

Est animo pietas ista probanda tuò.

Sit satîs: *Ursina* Princeps de stirpe paratur,

Qui vincet factis tempora prima suis.

Talia finierat Mater, fragor excipit urbem

Pervius, & multo consonat aura virò.

Pauca Deæ, vetuit tempus, dictura parabat

Roma, sed ex oculis scena reducta fuit.

Undabant populi; resonat clamoribus æther,

Qui jubet extensa vivere nocte Deam.

Audit vota Patrum, dubiam cecidisse sub urnam,

Et positò litem conticuisse forò.

Hinc ubi sollicitis se fama resloverat alis,

Dignaque, de lecto Principe, verba canit;

Lætitias animum recreat, nec ficta soporis

Gaudia, quæ sensit, credidit esse sui.

Risit, & adductis pandit sua vota labellis,

Quæ mea, dum prohibent tempora, musa tacet.

Vive igitur nescio an sancta magis, an illustris URSINA Domus in BENEDICTO; & quæ tot sæculorum ambitu æternitati pugnare videris, eresce Orbi in solatium, Regibus in gaudium, populo iu felicitatem. Porrige magnitudinem tuam ultra, si valles; & Europam complexa totam ed progredere, quod nec annalibus, nec memoriae ultra ire licebit. Te Orbis totus optabit immortalem; Te Italia, & quidquid Tui est sanguinis dicet prodigium, ut fortunâ hominum prope excedens terminos, eorum venias in numerum, quorum nec meminisse licet, nec gesta produci possunt citra perennitatem. Vergent sacula, quæ semper magna transmittes, & tum demum desine, cum emoti Orbis cardines & fortunæ dabunt terminum, & humanae afferent vitium societati.





NOMINA OFFERENTIUM.

Illustrissimus GABRIEL BALASSA L. B. de Gyarmath, Arcium Kékkő, & Vágh-Beszterce perperui ac Hæreditarii, ex Comitatu Trenchinensi Seminarii Mariano-Szelepc. Convictor.

Illustrissimus CASPARUS PONGRATZ, L. B. de Ovár & Szent-Miklos Hungarus Tyrnaviensis ex Comitatu Posoniensi.

CHRISTIANUS PALUASKA de Aranyos-Maroth, Perillustris Hungarus Posonien. ex Comitatu Poson. Seminarii Mariano-Szelepc. Convictor.

MAXIMILIANUS PALUASKA de Aranyos-Maroth, Perillustris Hungarus Posoniensis ex Comitatu Posoniensi Sem. Mariano-Szelepc. Convictor.

STEPHANUS JESZERNICZKY Prænob. Hungarus Bahoniensis ex Comitatu Posoniensi, Seminarii Mariano-Szelepcseniani Convictor.

ANTQ.

ANTONIUS MAKRIPODARI Prænobili-
lis Hungarus Cziferiensis ex Comitatu
Posonienſi.

CASPARUS HRABOVSZKY Prænobilis
Hungarus Trenchiniensis ex Comitatu
Trenchiniensi.


MICHAEL KEREKES Prænobilis Hun-
garus Nagy-Szarvensis ex Comitatu Po-
sonienſi Seminarii Mariano-Szelepcseni-
ani Convictor.


IGNATIUS VISKY Præn. Hung. Vitkocz.
ex Comitatu Nitriensi Seminarii Maria-
no-Szelepcseniani Convictor.

LADISLAUS TARNOczy Præn. Hung.
Lelócz. ex Comitatu Nitriensi Semina-
rii Mariano-Szelepcseniahi Alumnus.

O. A. M. D. G.









C

卷之三



www.books2ebooks.eu